3888
5
py 1

PA 3888
.W5
Copy 1

QUAESTIONES ARISTOPHANEAE.

PARS PRIMA.

DE PARTICULARUM NONNULLARUM USU CAPITA DUO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE ATQUE CONSENSU

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

JULIUS WEHR

OSNABRUGENSIS.

SMITHSONIAN INSTITUTION 65523

GOTTINGAE MDCCCLXIX.

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

GUIL. FR. KAESTNER.

PA3888
.W5

ERNESTO DE LEUTSCH

HERMANNO SAUPPIO.

D. D. D.

ERNESTO DE LEUTSCH

HERMANNO SAUPPIO

De Aristophanis particularum usu disputaturus non vereor, Viri Illustrissimi, ne venia mihi a Vobis petenda sit incepti, id vereor, ne Vobis minus fuerit probatum, quod ego potissimum periculosae plenum opus aleae susceperim. Nolo igitur iterare decantatum illud de praestantia sermonis Aristophanei, nolo longus esse de eo, quod doctissimus quisque minime negavit maximo cum fructu in singulis scriptoribus posse quaeri de genere dicendi, id potius erit in praefatione agendum, ut veniam Vestram mihi parem, quod quaestionem suscepi juvenis parum exercitatus, a qua tractanda summos adhuc viros difficultates rei deterruerunt. Aristophanis enim comoedias per aliquot annos lectitans dictionis atticae praestantiam non potui non summa cum voluptate contemplari quam quum viderem vel maxime in particularum usu positam esse, ante aliquantum temporis particulas tractare apud me constitui. Atque hac in re etiam mihi maximum erat impedimentum id, quod in Aristophane tractando unumquemque debet cohibere, parum accurata codicum cognitio, quum quae majore in dies cum studio exspectatur editio Ad. de Velsen in lucem nondum prodierit. Quae quamquam ita se habebant, tamen instante magis tempore ad opus me accinxi, Vestra, imprimis adhortatione admonitus Vestroque auxilio fretus.

Habetis igitur, Viri Doctissimi, de Aristophanis particularum usu capita duo, in quibus, si id fortasse miremini, quid

sit quod in tanta particularum copia has praecipue, quas tractarem, elegerim, quum neque usus varietate praestent neque tractatu sint difficillimae, memineritis quaeso:

ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν.

Vos igitur nunc judicabitis feceximne quod operae pretium sit an secus, et quum confidam, Vos, qua semper fuistis humanitate, reputantes, non quid debuerim sed quid potuerim praestare, aeque de hoc opusculo meo esse judicaturos, mihi ipsi satis fecisse videbor Vobis si aliqua tantum ex parte satisfecero.

Valete mihique favete!

CAPUT PRIMUM

DE PARTICULIS ADVERSATIVIS.

Initium faciat dissertationis particula *μέν* quam jure nobilissimam dicit Hogeveenius, quippe quae ex eorum numero sit, per quas, ut per nervos in corpore humano singulae partes conjunguntur, ita linguae partes, id est enuntiata, arctioris rationis quodam vinculo, ab ingenio linguae profecto, inter se copulantur. Quum vero hujus particulae usus apud Aristophanem admodum sit varius, in ea tractanda illum sequi satius duxi ordinem, ut ab eis locis proficiscar, ubi *μέν* non sequente particula *δέ* aut alia quadam particula correlativa, per se solum, aut cum aliis particulis conjunctum legitur, deinde eos locos tractem, ubi membrorum quidam nexus per particulam *μέν* efficitur.

De origine et significatione vocis primaria dubitari non potest quin recte statuerint Grammatici, eam ex particula *μήν* exortam esse (cf. Bäumlein: Untersuchungen über die griech. Partikeln p. 159, Matthiae Gr. Gr. §. 622. Hartung: Lehre von den Partikeln etc. vol. II. p. 390) quam sententiam etiam veteribus probatam fuisse ex Eustathii verbis colligere licet, ad Il *α* 35 dicentis: *ὡς που καὶ ὁ μὴν σύνδεσμος μὲν λέγεται κατὰ συστόλην κτέ.* Quae quum ita sint in aprico est significationem particulae *μέν* primariam eandem esse debere, atque particulae *μήν*, id est, vim particulae esse debere affirmativam, ex quo jam patet

μέν etiam per se poni posse nulla sequente particula quae respondeat. Atque de hac re vel maxime dubitaverunt homines docti, quum alii, Hermannum secuti (cf. Herm. ad Viger. p. 839 ed. IV), dicerent, μέν ubi dicatur solitarium aut intelligendum esse δέ aut omitti illam partem orationis, quam sententiam Hermanni regulâ complectitur Bremius (ad Lys. adv. Eratosth. §. 5) hac: „*Haud raro ponitur in uno orationis membro μέν cui non respondet δέ. Duo, quibus hoc fit, genera constitui possunt. Alterum est, quum membrum, quod per δέ adnectendum fuit, facile supplendum omittatur (cf. Heindf. ad Plat. Phaed. § 2 ad Soph. § 12), alterum, quum per lenem anacoluthiam membrum, per δέ adnectendum, alia forma addatur*". Recte, ut videbimus, sed addendum erat tertium, μέν particulam interdum etiam solitariam legi, ubi neque δέ supplendum, neque per anacoluthiam pergit oratio, sed ita, ut ad unum verbum corroborandum ponatur particula. Atque hanc rationem tertiam optime exposuit Schömannus ad Jsaeum p. 177 cujus haec sunt verba: „*Scilicet hi* Hoogeveenium dicit et Hermannum *propriam et primitivam illius particulae vim concessivam statuunt, quae βεβαιωτική potius videtur, atque hanc affirmandi vim quum apud Homerum* (cf. Bäuml. Part. p. 160) *et Herodotum* (cf. ibid. p. 162) *nemo non agnoscat, cur apud Atticos plane degeneraverit, causa nulla potest inveniri*".

Neque vero degeneravit apud Atticos. Ut enim apud Homerum, Herodotum, Pindarum (Pyth. VI 43), ita etiam apud Aeschylum (cf. Bäuml. p. 161), Sophoclem (cf. Ellendt. Lex. Soph. v. μέν), Platonem (cf. Astii Lex. Plat. II p. 302) μέν solitarium vi mere affirmativa legitur, neque deest hic usus apud Aristophanem de cujus dicendi ratione nunc est accuratius quaerendum. Hac vero in re satius duxi non eam ingredi rationem, ut tria illa, de quibus supra dixi, dicendi genera, sequar, quum justo plus in uniuscujusque

lubitu positum sit utrum singulis locis ubi μέν solitarium exstat, enuntiatum respondens per particulam δέ facile suppleri posse existimet, necne, id quod in exemplis homericis docuit Bäumleinius (Part. p. 160). Quae quum ita sint rem melius esse processuram speravi, si, Hartungio duce (Part. II, 411 sqq.) locos sejungerem pro verbi ratione quod per particulam μέν affirmativa significatione corroboratur.

Atque, ut inde exordiar, μέν solitarium quod dicitur, primum ponitur post pronomina personalia et demonstrativa, qua in dicendi ratione imprimis satis multi sunt loci, ubi in jurisjurandi aliqua formula μέν cum primae personae pronomine conjungitur. Ejusmodi formulae apud Aristophanem inveniuntur genera duo, quorum prius constat ex formula μὰ τὸν Ἀπόλλω ἔγὼ μὲν οὔ, alterum formula μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ, inter quas id intercedit discrimen, quod cum Apollinis nomine omnibus locis articulus est conjunctus, Jovis vero nomen semper nude positum est, quod nescio num hiatus vitandi causa semper fecerit poëta, quum certum omnino apud Aristophanem intersit discrimen inter ejusmodi formulas addito aut omisso articulo usurpatas, et quidem hoc, ut e. g. μὰ τὸν Δία majore cum vi dictum sit, quam simplex μὰ Δία, ita ut respondeant voces fere nostratium vocibus quae sunt „*bei Gott*“ et „*beim grossen Gott*“. Locos ubi legitur μὰ τὸν Ἀπόλλω ἔγὼ μὲν οὔ omnes jam attulit A. Muellerus ad Ach. 59. Sunt (secundum editionem Meinekianam, quam in afferendis locis sequor) Ach.: 59. 101. Eq.: 14. 1041. Nub. 732. Pac. 16. Av. 263. 439 μὰ Δί' ἐγὼ μὲν οὔ legitur Av. 1497. Lys. 873. Eccl. 553. Plut. 359, ubi in eodem versu utrumque habes deum, ib. 444, 971. Porro etiam huc trahendus est Av. 801 ubi cum jurisjurandi formula majus quoddam enuntiatum conjunctum est. Neque usu ab his locis differunt qui praeterea pronomen ἐγὼ particula μέν corroboratum ostendunt Ach. 706. Nub. 545.

642. 1050. Av. 671. Ran. 1412. 1442. Plut. 58, quorum locorum non paucis tuo jure dicere potes *μέν* particulam significatione fere accedere ad particulam *γέ*. Concedendum sane est his locis omnibus posse tacitam aliquam oppositionem statui, nec possumus negare talibus locis, qualis est Ach. v. 59, ubi praeconi dicenti *κάθησο, σίγα* Dicaeopolis respondet *μὰ τὸν Ἀπόλλω 'γὼ μὲν οὔ* facile posse apud animum suppleri *„taceat quivis alius — non ego“*, sed quum ex Homero, Herodoto atque etiam ex atticis scriptoribus vim particulae *μέν* affirmativam satis compertam habeamus, quidni etiam his locis dicamus *μέν* unice inservire augendae voci *ἐγώ* ut *ἐγὼ μέν* sit Latinorum *„equidem“*. Prorsus idem cadit in Lys. v. 631, ubi genetivus hujus pronominis legitur,

ἀλλ' ἐμοῦ μὲν οὐ τυραννέυσουσ' ἐπεὶ φυλάξομαι,

inque Nub. v. 1337. Av. 1603. Eccl. 155 ubi leguntur voces *ἐμοὶ μέν*, denique in Nub. v. 29 quem versum cum Teuffelio in eo numero habendum censeo, in quibus legitur *μέν* solitarium, quamquam non satis recte de hoc loco videtur statuisse vir ille doctus, quum lectorem releget ad Krügeri Gr. §. 69. 35. 2 ubi doctus grammaticus verba facit de oppositione apud animum supplenda. Hoc enim loco vel maxime durum esse puto oppositionem cogitando addere, itemque etiam majora facesseret negotia Nub. v. 794, ubi Strepsiades verbis versus 793:

ἀλλ' ὦ νεφέλαι χρηστόν τι συμβουλεύσατε

nubes consulit quid sit faciendum. Quaenam, per deos, hoc loco vox legitur unde suppleatur oppositio. Atque quem ita in primae personae pronomine comprehendimus usum, idem etiam in secundae apud Aristophanem invenitur; prorsus enim eodem modo ut *ἐγὼ μέν* etiam *σὺ μέν* et *σὲ μέν* legitur Ach. 109. Av. 12. Eccl. 144. Plut. 369. 874 quorum locorum imprimis Plut. v. 369 docet de supplenda oppositione vix ac ne vix quidem esse cogitandum; quae res causa

fuit, nisi fallor, Brunckio, quod Ach. 109 *μήν* pro *μέν* scribendum censeret, contra quem jam recte monuit Elmsleius *μήν* apud comicum non legi, nisi praecedentibus particulis *ἀλλά, γέ, ἤ, καί, οὔ, οὐδέ.* Ut enim Elmsleii causa hoc addam *ἀλλὰ μήν* legitur Ach. 765 (*μάν*) 771. Av. 385. Ran. 258 *γὲ μήν.* Eq. 232. Nub. 631. 822. (*μάν*) Lys. 144. *ἦ μήν.* Nub. 865. 1242. Vesp. 258. 277. 643. 1332. Av. 1259. Ran. 104. 1470. Eccl. 1034. Plut. 608 *καὶ μὴν.* Ach. 247. (*μάν*) 878. 908. 1069. Eq. 335. 340. 624. 691. 746. 790. 970. 1232. 1260. Nub. 4. 1036. 1185. 1344. 1353. 1414. 1441. Vesp. 521. 537. 548. 737. 863. 899. 1173. Pac. 369. 513. Av. 462. 639. 1462. 1590. Lys. 131. (*μάν*) 206. 355. 362. 486. 559. 588. 842. 1072. 1082. Thesm. 35. 200. 568 bis. 1126. Ran. 106. 285. 288. 612. 895. 907. 1036. 1119. 1198. 1249. 1263. Eccl. 41. 73. 523. 583 deest in Pluto, *οὐ μήν.* Nub. 53. Vesp. 268. Pac. 41 *οὐδὲ μὴν* (cf. Stallb. ad Plat. Symp. 172. A. Herbst ad Xen. Conviv. p. 17). Ran. 263. Eccl. 1075. 1085 denique doricum *σὰ μάν,* quod est *τί μήν* (cf. Schaefer. ad Soph. Trach. 390). Ach. 754. 784. De dorica particulae forma, quae hic illic legitur in universum velim conferas quae dicit Eustath. ad Il. *α* 35: *τὸ μέντοι μὴν καὶ διὰ τοῦ ᾱ λέγεται μὰν, καθὰ καὶ ἀπὸ τοῦ φρὴν γίγνεται καὶ τὸ φρεσί κοινῶς καὶ το φρασί δωρικῶς παρὰ Πινδάρῳ· οὕτω δὲ καὶ τὸ μὴν καὶ μὲν καὶ μὰν τριφορεῖται.* Atque hac occasione data statim addam etiam de Aristophane valere quod de tragicis dicit Porsonus (ad Eur. Phoen. 1638 ad Hecub. 403), saepe quidem particulae *μήν* addi particulam *γέ* in eodem enuntiato sed numquam nisi interposito alio verbo. Ne enim longus sim in locis jam enumeratis iterum enumerando sufficiat dixisse apud Aristophanem tricies septies addi particulam *γέ* sed semper interposito alio verbo, quid? quod vel plura intercedunt Nub. 1414. Vesp. 268. 277. 548. Av. 639. Thesm. 35. Ran. 1036. Eccl. 523. Atque quod de Aristophanis usu parti-

culae μὴν attulimus ad vocem etiam ad reliquorum comoediae atticae poëtarum usum pertinet.

Sed ut revertamur ad particulam μέν solitariam eadem affirmativa significatione qua post personale etiam post demonstrativa ponitur pronomina, et post pronomen quod dicitur determinativum αὐτός. Ut enim rariora praemittam αὐτός uno loco particula μέν auctum legitur apud Aristophanem, Av. v. 36, ubi Pithetaerus et Euelpides se Athenas velle relinquere profitentur ἀυτὴν μέν ὀυ μισοῦντ' ἐκείνην τὴν πόλιν. in quem locum cadit quod dicunt grammatici, interdum membrum correlativum quod expectatur per anacoluthiam alio modo inferri. Illum enim versum si legeris non poteris non exspectare membrum sequens in quo, per particulam δέ introducto causa indicetur, cur tandem Athenas relinquere vellent homines illi frugi, hoc vero membrum omissum est atque ad verba ἐναποτῖσαι χρήματα additur enunciatum causale quod simul causam illam, quam desideras, continet, ut patet ex verbis διὰ ταῦτα τόνδε τὸν βάδον βαδίζομεν Vides nisi fallor loci rationem per anacoluthiam constructi atque in talibus concedendum est μέν particulam non tam affirmativam quam concessivam et praeparativam vim habere. Eadem autem de causa huic loco plane oppositus est Ach. v. 428, ubi legitur vox ἐκεῖνος cum particula μέν conjuncta sensu affirmativo, quo loco vix poteris supplere membrum oppositum, id quod Bergkio in causa fuit, quod in adnotationibus criticis edit. I. et II. proponeret ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνος, quod vero minime est necessarium, quum μέν et μήν etiam in Aristophane idem posse significare jam viderimus. Pronominis demonstrativi vero, ut ad hoc transeam, casus generis masculini particula μέν corroborantur, nominativus Eccl. 648, dativus Eccl. 255; generis feminini Ach. 196. Nub. 207. Eq. 1216 Thesm. 928 generis neutrius nominativus Eq. 777. Av. 309. accusativus Eq. 520. 1281. Lys. 1022. 1165.

Ran. 953; nominativus pluralis Vesp. 370. genetivus Vesp. 453. accusativus Vesp. 771; et neutrum utriusque numeri, litera *ι* demonstrativa corroboratum *ταυτὶ μέν* Av. 807 Thesm. 632. 1202. *τουτὶ μέν* Nub. 1188. Pac. 244. Ran. 1023. de quibus locis omnibus in universum hoc valet, pronomen demonstrativum particula affirmativa corroboratum majore cum vi personam aut rem aliquam de qua in eis quae antecedunt sermo erat, in memoriam revocare. Cujus usus luculentissima exempla sunt ea, ubi pone articulum posita est particula *μέν* solitaria, interque ea praestantissima, quae ex Homero desumpta, aut Homeri in modum conformata leguntur Pac. v. 1090 et 1280 (cf. Il. *ι* 63. 64; versus 1280 ex variis Homeri locis compositus est). Hos enim in versus ea vel maxime quadrant, quae adnotat Naegelsbach. ad Iliad. I. 234. n: *Hinter dem recapitulirenden Demonstrativum hat μέν, wenn es nicht praeparative stest, die Bestimmung, die Identität des Pronomens mit der recapitulirten Person oder Sache zu versichern, und eben durch diese Versicherung das Pronomen als Ausgangspunkt einer neu anhebenden Gedankenreihe scharf zu maskiren.* Apud Aristophanem his cum locis potest comparari Thesm. v. 922. Paullo aliter ei sunt loci conformati, ubi *μέν*, quod proprie pone substantivum ponendum erat, cujus vim opus est augeri, inter substantivum et articulum positum utriusque vocis aut potius notionis ipsius vi augendae inservit, ut Eq. 763. Vesp. 673. 907. Av. 1565. Therm. 726. Ran 654. quos inter locos Eq. 763 Bentleius, ut *καθαρὸν* restitueret *ἀνάπαιστον*, scribere proposuit *τῇ δεσποίνῃ μὲν Ἀθηναίᾳ* nulla cogente causa, quum ratio Aristophanis in tractando anapaesto mutationem non flagitet, quamquam ea possit exemplis firmari Aristophaneis, e quibus apparet non semper comicum particulam *μέν* talibus locis inter articulum et substantivum posuisse. Eq. enim versu 598, Eccl. 171 post substantivum ponitur particula

cum articulo conjunctum. Atque ut hoc statim addam, substantivum apud comicum quater particula *μέν* augetur, Ach. 136. Eq. 598. Vesp. 868. Eccl. 171 quibus locis addere poteris Ran. 1266, ubi post nomen proprium legitur particula in fragmento Aeschyleo. Horum enim locorum vereor ne de unoquoque aliter statuendum sit. Ach. v. 136. Vesp. 868. Eccl. 171 *μέν* in initio orationis cujusdam legitur, ita ut praeter Eccl. v. 171 *μέν* magis ad totum enuntiatum quam ad substantivum pertineat, Eq. v. 199 usum habemus homericum, denique Eq. 598 non tam eorum in locorum numerum referendus est, quibus *μέν* solitarium legitur, quam eis adjudicandum, ubi per anocoluthon oratio aliter procedit, atque ab initio exspectaveras. Quum enim legantur verba:

ἀλλὰ τἀν τῇ γῇ μὲν αὐτῶν οὐκ ἄγαν θαυμάζομεν
ὡς ὅτ' ἐς τὰς ἱππαγωγοὺς εἰσεπήδων ἀνδρικῶς

μέν particula praeparative posita videtur, ita, ut exspectetur orationem procedere *ἃ δ'ἐν θαλάσσῃ κτέ;* longe tamen secus poëta ita procedit, ac si antea loco vocis *ἄγαν* legeretur *οὕτως*.

Porro ut post substantiva etiam post adjectiva, verba, adverbia ponitur *μέν* solitarium. Sic post adjectiva legitur Nub. 563. 1038. Vesp. 77. Pac. 673. Thesm. 97 de quo loco paullo infra dicendum erit, denique Plut. 489; post adverbia *νῦν μέν* Lys. 557. 1231. Eccl. 361. 884 *οὕτω μέν* Eq. 1131, Av. 656. 1503, *πρὸ τοῦ μέν* Nub. 654. *ὄκα μέν* Ach. 754; *ἐπάνω μέν* Av. 1126 quibus locis *μέν* modo concessiva vi ut Nub. 654, modo affirmativa ut Av. 656. 1503, aut ipsum adverbium urget, aut ad totum magis enuntiatum spectat. Thesm. 575 me consentire fateor cum Cobetio et Meinekio versum delentibus quamvis *ὅτε μέν* referri possit ad membrum omissum. Adverbium quod est *πρῶτον* ejusque vocis superlativum cum particula *μέν*, quae in talibus fere semper praeparative positum est, conjungi infra accuratius vide-

bimus. Etiam numeralia per particulam μέν aucta invenies Pac. v. 13 Lys. 641. quo quidem loco ultimo sequitur particula εἶτα ac si praecessisset πρῶτα μέν. Ran. v. 1432 praeeunte Vossio recte deleverunt Meinekius, Bergkius, Kockius.

Denique verba particula μέν efferuntur, ut Ach. 509 ubi μέν solitarium pertinet ad vocem μισῶ, quod vero versu 513 legitur ἀτάρ non ad μέν respicit, sed ad omnia quae eo usque protulerat, quae recapitulatione quasi quadam facta nunc concludit de quo usu infra videbimus; Pac. v. 47, ubi legitur δοκέω μέν, quae dicendi formula plane ejusdem generis est atque εἰκὸς μὲν οἶμαι μὲν, δοκεῖ μὲν et quae sunt similia quae apud Aristophanem non leguntur, Pac. v. 47 dico, si Stallbaumio credendum esset (cf. Stallb. ad Resp. I. 334 C. IV. 423 B.) certe suppleri deberet cogitando σαφῶς δοὐκ οἶδα, id quod minime est necessarium, simulac tenemus μέν affirmative poni posse non respondente δέ; porro Ran. 866, ubi contra usum comici μὲν ἄν Brunckius legere proposuit, ibid. v. 1184, quo loco infinitivo φῦναι vox μέν ita additur, ut simul eis quae antecedunt aliud quid opponat, denique Plut. 234. Huc vero liceat trahere Av. 1214 quo uno versu apud Aristophanem μέν legitur in interrogatione. Verba sunt: Πει. οὐκ ἔλαβες. Ἶρις ὑγιαίνεις μέν; κτέ. quo de loco atque usu diversa protulerunt Elmsleius ad Eur. Med. 1098 et Hermannus in censura Medeae ab Elmsleio editae (cf. Herm. ad calcem ed. Med. Elmsl. Lips. p. 387) quocum consentit Buttmannus ad Plat. Men. p. 82 B. quum Elmsleio socius exstiterit Stallb. ad Plat Men. p. 82 B. Longum est diversas proferre sententias, sufficiat dixisse sine dubio recte statuisse Hermannum, quum dicat eos qui interrogent ut hoc loco interrogat Iris non ea ratione interrogare ut nescii sint utrum sit aliquid necne, sed ita potius, ut significent opinari se illud de quo interrogant; ita ut non cum

Elmsleio vertendum sit *sanusne es?* sed *certe non insanis opinor?* (cf. Hartung. Part. II. 415). Exempla hujus usus platonica dabit Heindf. ad Theaet. p. 161, plura etiam dedit Fritzschius ad Thesm. v. 97, ubi eundem usum nisi fallor injuria restituere conatus est vir doctus.

Jam vero examinandi erunt loci, quibus particulae *μέν* ex adverso respondet altera particula, et quidem alia atque particula *δέ*. Ut enim jam diximus, et nonnullis locis vidimus, pro *δέ* etiam aliae particulae secundum enuntiati membrum inferunt (cf. Bäuml. Part. p. 170). Sic e. g. Ach. 1164. Vesp. 807 *μέν* praeparativum legitur, cui respondet particula *καί* v. 812, eodemque modo particulae *μέν* Ran. v. 788 respondet vocula *καί* versu 790. Eundem usum habes Pluti v. 701, neque multum differt Plut. 665 ubi *μέν-τέ* legitur, quam particularum responsionem verbi causa etiam apud Pindarum habemus Ol. IV. 3. Isthm. II. 38. *Μὲν-τέ* etiam haberes Av. 593, ex conjectura Cobeti, nisi contra Kockium putarem, *τὰ μέταλλα τὰ χρηστά* optime significare posse fodinas aerarias, in quibus instruendis et exercendis Athenienses eo tempore saepe magnas collocasse copias novimus. Lys. v. 142 sequuntur particulae *ὅμως γε μήν*, per quas majore cum vi effertur oppositio; Thesm. 466 *ὅμως δέ*, ubi videmus particulas, quae respondent, satis etiam longo intervallo sequi posse, nam leguntur v. 471; Ach. denique v. 956 et Eccl. 412 *ἀλλ' ὅμως*.

Omnino particula, quae est *ἀλλά*, saepius loco particulae *δέ* sequitur praecedens *μέν*, qua de responsione idem valet, quod infra in responsione particularum *μὲν-δέ* videndum erit, scilicet per *μὲν-ἀλλά* particulas ut singula verba ita enuntiata sibi opponi, atque hac in re particulam *ἀλλά* non debere procedere voces sibi oppositas. Ceterum de hoc usu parum recte videtur statuisse Klotzius, (ad Devar. II. p. 658), quum dicat videri istis locis, ubi ponuntur particulae *μὲν-δέ*, po-

tius sententiam ipsam spectari. Vesp. enim v. 765 non tam sententiae quam vocis ἐκεῖσε et ἐνθαδί sibi opponuntur, eodemque modo Vesp. 1018 verba οὐ φανερῶς et κρύβδην, Vesp. 482 νῦν et ὅταν sibi respondent. Ad sententiam magis spectant particulae Ach. 653, ubi nota speciosam loci anacoluthiam, Vesp. 74 ubi oppositio per ἀλλά introducta ab alia persona pronuntiatur, id quod eodem modo fit Pac. v. 1256, Vesp. 316, ubi addita particula γάρ causam affert vocis τήκομαι; Pac. 1226 ubi nota grammaticam enuntiati per ἀλλά introducti formam; Av. 1118, 1364 ubi respondens ἀλλά versu tandem 1368 legitur, denique Thesm. 383. Ran. 1374. Eccl. 504. Particulae ἀλλά loco etiam legitur particula quae est ἀτάρ Vesp 650 (cf. infra).

Denique etiam notandum est, nonnullis locis, quos jam in transitu tetigi orationem continuari per aliam constructionem, cujus rei egregium est exemplum Ach. 136 sq. ubi pro eo quod fortasse expectes ἀλλὰ habes enuntiatum conditionale.

Jam priusquam ad rem accedam longe difficillimam, scilicet ad examinandos locos, quibus sibi respondent particulae μὲν-δέ paucis dicam de aliis particulis cum particula μέν conjunctis.

Atque hic primum notandi sunt loci, ubi ἀλλὰ μέν legitur, non sequente δέ, id quod exemplis illustraverunt platonicis Heindf. ad Theaet. p. 197 C. Winckelmann ad Theaet. p. 201 B. Stallb. ad Euthyd. 297 E. His vero locis utraque particula suam retinet notionem quum ἀλλά oppositionem inferat eorum quae antecedunt, μέν autem eam vocem augeat, pone quam legitur.

Exempla quae apud Aristophanem leguntur, quum jam supra suo quodque loco attulerimus, sufficiat rei causa enumerasse. Legitur ἀλλὰ-μέν Eq. 598. 1281. Vesp. 77. 453. Thesm. 726, 922. Eccl. 648. Plut. 234. Idem valet de

particulis *καὶ-μέν*, quae leguntur Ach. 428 Eq. 1131 Nub. 545. Vesp. 655. 771. Thesm. 97.

De particulis *μὲν δή* v. infra in particula quae est *δή*. Particulae *μέν γε*, quas rarissime a Tragicis copulari auctor est Porsonus ad Med. 1090, apud Aristophanem novies leguntur, Ach. 154. Nub. 1172. 1382 Lys. 1165. 1236. Ran. 80. 290. 907. Plut. 665; quibus locis *μέν* vocis praecedentis vim urguet *γέ* autem restringit, aut argumentativo modo positum est, ut Ran. 80; *πρὶν-μέν* exstat Ran. 1184; *μέν νυν* Pac. 497 ubi vero Bergkius *μὲν γ'οὖν*. Porro *ὡς μέν* legitur Ach. 1151 in formula *ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ*, quae est Latinorum „*ut uno verbo dicam*“, quo loco *μέν* affirmativa vi totam formulam intendit, neque debuit suppleri, quod ratione admodum mira supplere studuit Hartungius Part. II. 410 explicans: *Um es kurz zu sagen, so wünsche ich, dass Zeuss ihn verderbe: ausserdem sähe ich es gern, wenn ihm dies oder jenes widerführe.* Hoc non inest in loco.

Ubi *μὲν ἄν* legitur ut Eq. 1131 Av. 555. (Ran. 866, si quidem Brunckio credendum est,) *ἄν* ad verbum pertinet (cf. Fritzsch. ad Ran. 866. Herm. ad Nub. 1344 Matth. Gr. §. 509). Deinde ubi *μὲν γάρ* leguntur eodem modo vocis quae praecedit vim auget *μέν*, *γάρ* vero causam infert. Exstant particulae Pac. 24. 40, ubi simul particulae *μέν* respondent *οὐ μήν*; ib. 125. Av. 32. 1061. 1220. Thesm. 766. Ran 72. 121 ubi respondet *ἀλλά*, Ran 911. (cf. Reis. Conj. 230. Dawes. Miscell. p. 209.) ib 1032, 1054. Eccl. 109. Plut. v. 422 ubi pro verbis *ὠχρὰ μὲν γάρ* legere proposuit *ὠχρὰ μαινὰς* A. de Velsen in Symb. philol. Bonn. p. 411; denique Plut. 502. Horum locorum nonnullis etiam *μέν* praeparative positum est, qua de causa eorum infra accuratior fiet mentio, hoc loco sufficiat enumerasse locos quibus *μέν* cum alia particula conjunctum legitur. *μέν ἄρα* (de quo cf. Fischer. ad

Weller I. 331. Herm. ad Viger. p. 699. Ast. ad Legg. 177. Matth. Gr. §. 288, 3) neque apud Aristophanem neque apud Sophoclem leguntur, contra *μὲν ἄρα* habes Av. 161. quum *μὲν-δ'ἄρα* non invenias apud comicum, frequentem illam apud Platonem particularum responsionem de qua cf. Stallb. ad Plat. Polit. II. 445. A.

Restant particulae *μὲν οὖν*, quas particulas fuerunt qui injuste particularum conjunctionem proprie dictam nuncuparent, quum e contrario statuendum sit utramque particulam et hoc in dicendi formula suam tenere vim, ita ut *μέν* aut affirmative aut concessive positum sit *οὖν* vero respectu habito eorum quae antecedunt dicatur. Accuratius de harum particularum usu qualis exstat apud auctores Graecos, dixerunt: Vigerus Cap. VIII. p. 541 Hoogeveen. Doctr. Part. p. 354. Herm. ad Viger. p. 842. Ellendt; Lex. Soph. II. 79, Klotz. ad Devar. II. 662. Hartung. Part. II. 16 sqq. Bäuml. Part. p. 175 denique: Beiträge zur Erklärung und Kritik des Thucydides v. Wolfg. Ullrich p. 51. et Rost: Bedeutung und Gebrauch der Partikel *οὖν*. Progr. Goth. 1859. p. 6 sqq; qui quod dixerunt in universum etiam in Aristophanem quadrat.

Atque ut inde exordiar *μὲν οὖν* particulae in responsu leguntur et ajentis et negantis et ita quidem ut modo simpliciter affirment, modo verba quae antecedunt corrigant, atque etiam majora addant. Loci, qui huc pertinent, sunt Vesp. 516. Av. 824. 1387. Lys. 876. Eccl. 111, 377. 1102. Plut. 287. 914; quibus locis singulae particularum rationes optime apparent. Sic Av. 1387, ubi interroganti Pithetaero:

ἐκ τῶν νεφέλων γὰρ ἄν τις ἀναβολὰς λάβοι;

respondet Cinesias:

κρέμαται μὲν οὖν ἐντεῦθεν ἡμῶν ἡ τέχνη.

particulae *μὲν οὖν* mere affirmantis sunt; Av. 824 simul majora adduntur eodem modo quo Plut. 287. Lys. 876. Eccl. 1102 sibi ipsi

respondet qui interrogat, simul gradationem inferens; denique Vesp. 516. Eccl. 111 per verbi ellipsin responsus datur, ita ut non ad ipsam interrogationem spectet, quae verbi ellipsis vel maxime eis locis comparet, ubi adverbium aliquod, gradationem inferens, cum *μὲν οὖν* particulis conjungitur, ut *πάνυ μὲν οὖν* Plut. v. 97. (cf. Stallb. ad. Polit. 331 D.) et addito verbo Pluti v. 1195; *κομιδῇ μὲν οὖν* (cf. Steph. Thesaur. II. 322 G. ed Dindorf.) quam formulam scholiasta explicat verbis *ἀντὶ τοῦ παντάπασι μὲν οὖν,* quae particularum conjunctio apud Aristophanem non exstat. (Locos platonicos v. apud Bäuml. Part. 176.). Prorsus idem valet de eis locis, ubi *μὲν οὖν* leguntur in responsu negantis, ubi simul corrigentis est. Loci sunt: Ach. 285. Nub. 1086. Vesp. 1377. Av. 293. Thesm. 861. Plut. 347. 437. Porro *μὲν οὖν* non praecedente interrogatione recusantis et corrigentis est ita ut per vocem „*immo*“ praecedente negatione possit verti: Eq. 13. 911. Nub. 220. 1112. 1454. Vesp. 898. 953. 1421. Pac. 628. Av. 341. 1464. Thesm. 257. Ran. 241. Eccl. 768. 1074. 1084. Plut. 270. 390. 1067; itemque addita negatione Ran. 556. 1188. Plut. 652. 870; nec desunt loci, ubi per particulas *μὲν οὖν* non praemissa interrogatione aliquis se cum eis, quae alius edixerat, consentire fatetur, qui usus invenitur Ran. 612. 626. Eccl. 765. Plut. 119. 410. 1009. 1036. Denique particulae *μὲν οὖν* etiam in oratione continua apud Aristophanem satis frequenter apparent, de quo usu verba fecit Hartungius (Part. II. 399. sq.) exempla afferens e Tragicis, quibus addi potest exemplum Pindaricum (Ol I. 111). *Μὲν οὖν* particulae ita ponuntur, si sententiam aliquam longius persecuturus est auctor, aut affirmans antecedentia, aut gradationem inferens aut corrigens. Invenitur hic usus apud Aristophanem Eq. 475. Nub. 71. Pac. 328. Av. 285. 376. Lys. 718. Thesm. 206. Ran. 1279. 1422. Eccl. 180. 706. Plut. 18. Restant loci ubi particulis *μὲν οὖν* re-

spondent particulae aliae. Sic *μὲν οὖν-δέ* legitur Eq. 1276. Vesp. 1048. Pac. 690. 1122. Lys. 411. 336. (cf. Kock. ad. Av. 371); Thesm. 424. 449. 1174, quibus locis prius membrum majore cum vi effertur quam alterum; *μὲν οὖν-ἀλλ' ὅμως* in oratione continua Ran. 599; *μὲν οὖν — εἶτα.* Nub. 66 Pac. 560. (cf. interpp. ad Xen. Hell. II. 2. 17).

Jam vero haec missa facere possumus, ut accedamus ad usum longe frequentissimum apud omnes graecos auctores quo per particulas *μὲν-δέ* sibi oppositas rationem exprimunt, quae intercedit inter singula enuntiata. Locorum igitur numerus, qui huc pertinent, quum sit permagnus, rem ita instituam, ut primum de eis disseram in quibus unum *μέν* respondet uni *δέ*, deinde eos examinem, quibus plura membra per particulas *μὲν* et *δέ* conjunguntur.

Ac primum, ut apud ceteros auctores ita apud Aristophanem loci exstant, quibus *μέν* et *δέ* particulae in anaphora, quam dicunt, (cf. Bekkeri Anecd. p. 899. 902. Apoll. de Synt. p. 47) positae, idem verbum in utroque membro repetitum augent, quod dicendi genus habemus: Ran. 80.: *ἑύκολος μὲν — ἑύκολος δέ* ib 1487 *ἐπ'ἀγαθῷ μὲν — ἐπ'ἀγαθῷ δέ* Vesp. 1060 *ἄλκιμοι μὲν — ἄλκιμοι δέ;* ib. 678 *πολλὰ μὲν — πολλὰ δέ;* Av. 331: *παρέβη μὲν — παρέβη δέ;* ib. 477: *πρότεροι μὲν — πρότεροι δέ;* Thesm. 352: *τέλεα μὲν — τέλεα δε* (ubi Rav. *τέ*); Plut. 502: *πολλοὶ μὲν — πολλοὶ δέ;* Eq. 540. Av. 1398. *τότε μὲν — τότε δέ;* Av. 637. *ὅσα μὲν — ὅσα δέ;* et mutatis qui loquuntur personis *ἐγὼ μὲν — ἐγὼ δέ* Ach. 620. Lys. 374; denique *σὲ μὲν — σὲ δέ* Thesm. 1062. (cf. Förtsch: comm. crit. de Lysiae et Demosth. locis p. 19. 20. Kühner. ad. Exp. Cyr. I. 3. 6.); quibus locis non semper verbis *μὲν — δέ* formatur oppositio, sed nonnumquam etiam inter utrumque membrum ratio intercedit copulativa, unde explicanda est varia lectio Thesm. v. 352, ubi pro *τέλεα δέ* Rav. *τέλεα τε*, loco, si Meinekium sequimur spu-

rio, si Fritzschium, Engerum, Bergkium, genuino. Atque tenentibus nobis *μὲν* particulam prioris membri esse affirmativam aut concessivam, apparet, hac in structura vel maxime secundum urgeri membrum, ad quod prius, per particulam praeparativam introductum, quasi lectoris animum et oculos intendit. *Μέν* in anaphora etiam omitti posse grammatici docent (cf. Krüger. 59. 1. 4. Matth. §. 622. Kühner ad Exp. Cyr. VII. 7. 45. Breitenbach: Annal. Darmstad. 1841. p. 259, et ad Hier. XI. 10.) et exemplis aristophaneis potest probari, qualia sunt *οἵ γ' ἐμοὶ — οὑμοὶ δέ* Eq. 965,67; *ἔστί γε μὔνστί — ἐμοὶ δέ* Eq. 1000; *ἐγὼ — ἐγὼ δέ* Eq. 429 904. 925. 1165. (cf. *ἐγὼ μέντοι — ἐγὼ δέ* Eq. 1152.) *παρ' ἐμοῦ — παρ' ἐμοῦ δέ* Eq. 1190. et quae sunt similia. Omnino *μέν* saepe durius omitti docent Schöm. ad Isaeum p. 343. Zeune ad Viger. p. 536. Poppo observ. in Thuc. p. 26. Haacke ad Thuc. I. 12. His locis proximi sunt ei, quibus articuli aliqua forma cum particulis *μὲν — δέ* conjuncta legitur sicut *ὁ μὲν — ὁ δέ* apud Aristophanem invenitur Eq. 1350. Vesp. 904. Av. 707. Ran. 1101. 1434. Eccl. 186. Plut. 157; *ᾗ μὲν — ᾗ δέ* Lys. 17, quibus locis omnibus articulum non sequitur substantivum, ad quod pertinet, sed praecedit, qua de causa articulus prope accedit ad demonstrativum. Porro genetivus articuli cum particulis *μὲν δέ* legitur Pac. 1349; et in genetivo temporali *τοῦ μὲν ἦρος — τοῦ δὲ χειμῶνος* Av. 1478, ubi suum quodque membrum habet subjectum, id quod secus est loco quem ex Aristophane desumptum dedit Krügerus (Gr. Gr. 50 1. 1.), quem neque in integris comoediis, neque in fragmentis invenire poteris, quum sit Anonymi cujusdam ap. Mein. Com. IV. 687. Ibi enim verba sunt:

τῇ μὲν δίδωμι χειρί τῇ δὲ λαμβάνω

et recte adnotat vir doctus *τῇ μὲν — τῇ δέ* esse pro pronomine habendum, quum ad utrumque membrum idem per-

tineat subjectum, id quod, praecedente subjecto, eodem modo invenitur Eq. v. 76. Accusativus singularis uno Ran. v. 901 exstat quo loco per *τὸν μὲν* Euripidem per *τὸν δέ* Aeschylum dicit Bacchus, plurali numero *τούς μέν — τούς δέ* legitur Ach. 442. Eq. 774 Pac. 492. 1180. Plut. 596, ubi vi demonstrativa usurpatus est articulus eodem modo ut Vesp. 1137 nominativus pluralis, quo loco *οἳ μὲν — οἳ δέ* indefinite dictum est, quum Vesp. 431 et Ran. 72 easdem voces melius per *pars-pars* vertas. Porro *τοῖς μὲν-τοῖσιν δέ* Ran. 1054 exhibet. Denique neutra *τὸ μὲν* et *τὰ μέν* respondente *τὸ δέ* et *τὰ δέ* apud Aristophanem leguntur, et quidem prius Ach. 813 ubi addita voce *ἄτερον* praecedens substantivum *χοιρίδια*, quod ad utrumque referendum est membrum sequens, quasi repetitur; Eq. 76, quo loco substantivum praecedit in versu antecedenti, Lys. 568 et 570; Eccl. 623 quum *τὰ μὲν — τὰ δέ* praecedente subjecto legantur Ach. 975; sequente in unoquoque membro: Eccl. 654. Similis est Av. 843 ubi habes *τὸν μὲν — ἕτερον δέ*. Breviter monendum est hoc in dicendi genere, si plura sequuntur membra, ea per *δέ* inferri ut Vesp. 431. Lys. 17. quum plura de his in particula *δέ* tractanda proferenda sint. Porro aliquatenus etiam his anaphorae exemplis ea sunt adnumeranda, ubi conjunctio quaedam ante *μέν* et *δέ* repetitur ut apud Aristophanem invenimus *ἦν μὲν — ἦν δέ* Vesp. 393. Plut. 247. 350. *εἰ μὲν — εἰ δέ* Eq. 764. Vesp. 572. Pac. 212, qua in dictione etiam omitti posse *μέν* testis est Nub. v. 229.

Praeter hos locos *μὲν-δέ* particulae apud Aristophanem satis multis locis leguntur in enuntiatis quae per se constant, et primum quidem ita, ut in eodem versu et positio primaria, per *μέν* introducta, et secundaria voce *δέ* adjecta, legantur, qua in re particulae *μὲν-δέ* interdum non tam adversativa vi leguntur, quam copulativa, ita ut enuntiata, inter quae interior nexus intercedit nullus, externa quadam

specie conjuncta videantur, id quod optime apparet Eccl. v. 1112 sqq. quo versu legimus:

ὦ μακάριος μὲν δῆμος, εὐδαίμων δὲ γῆ

nullo inter utrumque membrum interiore nexu ita ut commode sequentia membra per particulam τέ adnecti possint. Contra oppositio inter singula membra multo saepius apparet, et quidem ita ut singula in utroque membro sibi opponantur verba, ut Ach. 441:

εἶναι μὲν ὅσπερ εἰμί, φαίνεσθαι δὲ μή,

ubi sibi oppositae sunt voces εἶναι et φαίνεσθαι et oppositio, quae inter utramque intercedit etiam magis eo effertur, quod prius membrum affirmative posterius negative positum est. Eq. 819. 1203, et in parodia Ran. v. 1425 loco illo notissimo de Alcibiade, ex Jonis Custodibus desumpto

ποθεῖ μὲν, ἐχθαίρει δὲ, βούλεται δ'ἔχειν.

Eadem vero apparet constructio, ubi non tam singula verba, quam membra sibi opponuntur, Ach. 455. Eq. 1252. Lys. 1124. Ran. 1295. Plut. 825, denique Ach. 33 loco tragico (cf. Nauck: Frgm. Trag. adesp. 25. 657). Ceteris qui huc pertinent locis, quibus μέν et δέ membra, quae per se constant, conjungunt, eaedem apparent nexus rationes. Primum enim nihil nisi simplicem actionis aut rei cujusdam varietatem inter singula membra intercedere particulis μὲν-δέ indicatur, atque ita quidem, ut simul per particulam δέ, quae jam per se multis locis vim habet orationis continuandae, progressus ad novam rem significetur, ut Ach. 178. 366. 719 Nub. 457; ubi protasin ad spectatores, apodosin ad Strepsiadem conversus dicit chorus; Vesp. 1249. Pac. 637. Av. 358. 702. Lys. 314; deinde particulae μὲν-δέ ita positae sunt, ut in uno quoque membro singulae quae sibi ex adverso respondent voces efferantur, ut Ach. 188, ubi ἀλλά particulam orationi interpositam *tamen*, *certe*, significare, ut Ach. 1033 Nub. 1364. 1369. Pac. 660. Lys. 904 notavit Müllerus

ad Ach. 1033; ibid. 398. 699 ubi temporali *νῦν δέ* respondet *Μαραθῶνι μὲν ὅτ' ἦμεν*; Eq. 208. 927. 1003. Nub. 201. Av. 281. 435. 644 ubi nota positionem particulae *δέ*; ib. 1162. Thesm. 866 ex Euripidis Hel. v. 49 desumpto, ib. 1170. 1203. Ran. 495. 897. 1414 Eccl. 151 ubi *νῦν δέ* temporali respondet imperfectum addita voce *μέν*, ib. 262. 301. 351. 509. 830. Plut. 162. 540. 559. 619. 707. 819. 834. 1118. 1120; tum vero ut verba ita universae notiones sibi oppositae sunt particulis *μὲν-δέ* ut Ach. 117. Eq. 199. 211. 276. 359. 505. 712. 865. 1023. 1364. Nub. 348 ubi Herm. Teuff. Bergk. *τί γάρ* (cf. Herm. ad Nub. 196;) ib. 1058 praecedente membro negativo quod vulgo sequitur; Vesp. 675. Pac. 24. 734. 775. Av. 32. 336. 451. 658. 936. 977. 1304; Lys. 233. 506. 1152; Thesm. 16. 64. 146. 211. 418. 444. 801. 804. (cui respondet v. 806); Ran. 534. 727. 907. (*μέν* om. V. Rav.) 992. (ubi prius membrum ex Aeschyli Myrmidonibus desumptum est.), ib. 1006. Eccl. 197. 583, ubi nota levem anacoluthiam per verborum *τοὺς δὲ θεατάς* in verbis *τοῦτ' ἐστι κτέ* repetitionem ortam, 644. Plut. 110. 322. 468. (cf. Kock. ad Av. 371. Thiersch. a. h. l.) ib. 548. 1063. Huc etiam pertinet Pac. 1298. quo loco legis *ἀσπίδι μέν*, cui respondet *ψύχην δέ* in fragmento Archilochi (cf. Bergk. Poet. Lyr. p. 684. 6.) ubi vero voces *ψύχην δέ* mutavit comicus, quum apud Archilochum legantur *αὐτὸς δέ*. Denique per particulas *μέν* et *δέ* membra ita conjunguntur, ut simplex existat enumeratio neque vero oppositio, quibus locis *δέ* particula vi continuativa ut etiam alibi, posita est, id quod optime apparet eis locis, ubi post membra per *μέν* et *δέ* illata oratio continuatur particulis copulativis *τέ* aut *καί* ut e. g. Eq. v. 305, ubi quae sequuntur per *καί* adnectuntur membra; Av. 209. Lys. 1078. Thesm. 1037. Ran 849. Eccl. 173.

Jam vero his locis optime possunt subjungi ei, in qui-

bus apparet structura paratactica (cf. K. F. Herm. de protasi paratactica p. 4. Krügeri Gr. Gr. §. 59. Matth. §. 622. 4. Scheibe. Philol. V. 350. Heindf. ad Plat. Gorg. §. 144.) Solent enim scriptores Graeci, ut pedestres ita poëtae (cf. Exempla Sophoclea quae collegit L. Lange: de Soph. Electr. stasim. II. comment. p. 11) per particulas *μὲν-δέ* duo periodi membra conjungere, „*quorum*, ut Hermanni verbis utar, *posterius primariam enuntiationis notionem, prius secundariam continet, ideo praemissum, quo magis per hanc oppositionem primariam notionem percipias et persentiscas*“. Idem usus apud Latinos exstat, ut exemplis probaverunt Herm. l. c. p. 10. sqq. Heindorf. ad Hor. Sat. II. 7. 109. Prius illud membrum, quod per particulam *μέν* inducitur, talibus locis grammatice in eodem ordine positum est, in quo membrum sequens quod est primarium quum per rationem logicam non coordinatum, sed subordinatum esse debeat, ita ut enuntiatorum ratio appareat, si prius membrum per particulam *quum* subjungis, alterum per *tamen* infers. (cf. Breitenbach ad Xen. Hell. V. 2. 16). In tali enuntiatorum conjunctione summam esse posse varietatem apparet, Aristophanes ea simplicissima ratione usus est, ita ut membra quae per se constant sibi per *μέν* et *δέ* opponat, non subjungat. Qua de caussa hic locos enumerasse sufficiat. Invenitur igitur structura paratactica: Ach. 305. 353. Eq. 157. 465 (quo versu sibi respondent *πρόφασιν μὲν — ἰδία δέ* cf. Kock. a. h. l. quum vulgo sibi opponantur *πρόφασιν μὲν — τὸ δ'ἀλήθες*. Lys. adv. Agor. 12. Thuc. VI. 33.) ib. 717. 738, ubi recte restituit *ἐπιδιδώς* Cobet. ad Hyperid. Epit. p. 12; 753. 802. 929. 1222. Nub. 63. 484. 1293. 1413. 1434. Vesp. 669. 682. 715. 950. Pac. 204. 410. 646. 800. 1140; quem locum etiam ita potes explicare, ut *ἐσπαρμένα* objectum esse dicas ad utrumque verbum, (cf. Krüger. §. 60. 4.), idque a verbo *τυχεῖν* pendens facias, *δέ* autem pleonastice additum

accipias (cf. Buttm. Exc. XII. ad Dem. Midian. p. 144.) ib. 1246. Av. 39. 83. 371. 1226. 1247. 1459. Lys. 10. 592. 595. 1253. Thesm. 486. Ran. 542. 1163, ubi sine dubio ἥκειν scribendum secundum v. 1153. Eccl. 181. 873. Plut. 189. 329. 551. 1205. Alterum structurae paratacticae genus, ubi protasis enuntiati conditionalis loco posita est, apud Aristophanem additis particulis μέν et δέ quantum scio uno loco Av. v. 76 sq. legitur.

Porro autem, ut in enuntiatis quae per se constant, ita etiam in propositionibus pendentibus singula membra particulis μέν et δέ copulantur locis his: Ach. 501. Nub. 1363. Av. 124. Ran. 1054. Plut. 157 ubi in eodem versu leguntur membra opposita; Ach. 608. 715. 886. Eq. 534. Nub. 361. 850. 1020. 1108. Vesp. 65. 134. Pac. 162. 529. 1189. Av. 16, ubi δέ particula interposita legitur inter demonstrativum τήν et syllabam δί, ib. 577. 1476. Lys. 262, ubi nota tmesin vocum κατέχειν, et καταλαβεῖν, ib. 1135. Thesm. 304. 1034, versu ex Euripidis Andromeda desumpto, Ran. v. 20, ubi ad prius membrum cogita ἐρῶ; ib. 22. 101. 389 quo loco infinitivus εἰπεῖν pendet a voce δός in talibus precibus frequenter omissa, ib. 792. 1477. Eccl. 435. 1155. Plut. 33. 150. 556. 654. 976. Etiam his locis ea apparent quae jam supra notavimus, ut enuntiatorum inter se ratio modo mere copulativa sit, ut e. g. Ach. 886. Pac. 162. Lys. 262. Thesm. 304. Ran. 389, modo adversativa, aut inter singula membra ut Ran. 1054. aut inter singula verba ut Ach. 124. 715. Nub. 361. 850; modo denique externa tantum ratione respondeant positiones ut Lys. 1135, qui locus etiam alia de causa notabilis est; Eccl. 171. Lys. enim illo versu 1135 verbis qui leguntur:

εἷς μὲν λόγος μοι δεῦρ' ἀεὶ περαίνεται

Lysistrata orationis suae priorem partem concludit, versu 1137 per vocem εἶτα ad novam transiens expositionem. Jam

ex usu attico si particulae *μέν* respondere particulam *δέ* voluit poëta ab hac particula *δέ* nova expositio erat incipienda, id quod alibi etiam facere solet Aristophanes, ut Av. v. 702; ubi verbis

ὧδε μέν ἐσμεν

πολὺ πρεσβύτατοι πάντων μαχάρων ἡμεῖς priore finita enarratione altera inducitur verbis *ὡς δ' ἐσμὲν ἔρωτος-πολλοῖς δῆλον*, eodem modo, ut Av. 1304 legitur *τοιαῦτα μὲν τἀκεῖθεν, ἓν δέ σοι λέγω κτέ* et Ran. 1329 mutata constructione per *δέ* transitum facit Aeschylus a canticis Euripideis ad monodias, quique transitus ad novam rem magis etiam potest efferri aucta conclusionis formula per particulam *δή* (Kühner. ad Exped. Cyr. II. 1. 20.) ut Plut. v. 8:

καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. τῷ δὲ Λοξία κτὲ.

Sed hunc usum, alibi obvium, hoc loco ita sprevit comicus, ut respondentem particulam ponat in versu quem interponit Atheniensis, nullo nexu cum Lysistratae verbis eundem conjunctum, qua mutatione comicam totius loci rationem mirum quantum augeri neminem potest fugere. Eq. 989, ubi libri solam vocem *ἁρμόττεσθαι* habent, Bernhardy *μέν* addidit, ut respondeat sequentibus *ἄλλην δ'οὐχ*, Meinekius vero rectius nisi fallor, cum Bergkio *ἄν* posuit.

Jam vero sequantur loci, quibus particulae *μὲν-δέ* subjectae leguntur vocibus quae sunt *πρῶτον* aut *πρῶτα* et *ἔπειτα* aut *εἶτα*. Atque quum de hoc dicendi genere uberius dicere mihi proposuerim huc etiam traxi locos, ubi *μέν* post *πρῶτον* legitur, non sequente *δέ*, ita ut mera voce *ἔπειτα* formetur oppositio, eosque ubi *μέν* omissum sequitur in altero membro particula *δέ* ne illis quidem versibus neglectis, ubi neutra harum particularum legitur, neque etiam vox *ἔπειτα* oppositionem indicat. Totum vero horum verborum usum

respicienti sponte apparebit quadrupliciter ea posse ita collocari:

1) *πρῶτον — ἔπειτα* 3) *πρῶτον — ἔπειτα δέ*

2) *πρῶτον μὲν — ἔπειτα* 4) *πρῶτον μὲν — ἔπειτα δέ*

quarum orationis formarum omnium exempla praebent comoediae Aristophanis. Atque, ut a verbis *πρῶτον - ἔπειτα* incipiam, quae dicit Herbstius de horum verborum usu qualis exstat apud Thucydidem non prorsus quadrant in Aristophanem.

Herbstii verba haec sunt: (cf. Philol. XXIV. p. 647): *Wenn jene Partikeln (πρῶτον — ἔπειτα) mit μέν bei πρῶτον eine einheitliche Handlung so zu sagen auf ihren auf einander folgenden Stationen angeben sollten, wobei πρῶτον und ἔπειτα etwas von der Natur von Formwörtern an sich nehmen, so ist zwischen πρῶτον und ἔπειτα nicht Einheit der Handlung, und πρῶτον und ἔπειτα sind reine Begriffswörter (zuvor — hernach), wobei nie eine Aufzählung oder derartiges gedacht, sondern lediglich ausgedrückt wird, das das eine, der Zeit nach, dem andern vorausgeht* Haec Herbstii verba quadrant in Eq. v. 155. Pac. 66. 542. Av. 550. 810. Ran. 1182—1187. His locis omnibus verbis *πρῶτον — ἔπειτα* nihil indicatur nisi aliquam rem tempore aliam sequi, contra Eq. v. 541:

ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν αὑτῷ.

nisi omnia me fallunt diversae, ut Herbstii transferam voces, actionis stationes enumerantur, id quod sine dubio fit Nub. v. 390. ubi verba leguntur:

νὴ τὸν Ἀπόλλω καὶ δεινὰ ποιεῖ γ' εὐθύς μοι, καὶ τετάρακται
χὥσπερ βροντὴ τὸ ζωμίδιον καταγεῖ καὶ δεινὰ κέκραγεν
ἀτρέμας πρῶτον παππὰξ παππὰξ, κἄπειτ' ἐπάγει παπ-
παπαππάξ

eodem modo ut Lys. v. 307. De verbis *κἄπειτα* pro *ἔπειτα* cf. Schaeferi Melet. p. 86. Heindf. ad. Plat. Phaed. p. 90 B. Deinde Eccl. v. 233 si quid video, *πρῶτον — εἶτα* non de tempore possunt accipi, et per *zuerst — hernach* verti, sed etiam hoc loco interior in aprico est membrorum nexus. Similitudine quadam quamvis externa his locis propinquus est Nub. 1212, ubi Strepsiades verbis:

ἀλλ' εἰσάγων σε βούλομαι πρῶτον ἐστιᾶσαι

in eo est ut cum filio scenam relinquat, Pasias vero, ab altera parte introiens, verbis utitur:

εἶτ' ἄνδρα τῶν αὐτοῦ τί χρὴ προίεναι;

Vides interiorem nexum hoc loco non adesse, quum Pasias quae dicit ad testem, quem secum habet vocationis suae conversus eloquatur, externo igitur vinculo quod intercedit inter *πρῶτον* et *εἶτα* enuntiata conjunguntur, ita ut orationis tenorem non interrumpi spectatores sentiant. Similis est his locis Ran. v. 941 ubi *μέν* sequenti *καί* respondet, voci autem *πρώτιστον* voces *εἶτα — εἶτα*. *πρῶτον* vero etiam omitti posse hac in dictione docebunt Nub. v. 553—557.

Deinde quae sequuntur voces *πρῶτον μὲν — ἔπειτα* longe plurimis locis apud Aristophanem sibi respondent. Exempla hujus usus platonica dabit Heindf. ad Phaed. p. 80 E. De quo usu non possum non ad verbum transscribere quae dicit Herbstius de usu Thucydideo (cf. l. c.): *πρῶτον μὲν — ἔπειτα gebraucht Thucydides, wo er die beiden Glieder in der Einheit eines Gedankens zusammenfassen will; das μέν ist ihm dabei das verbindende Mittel, in ἔπειτα fügt sich das zweite als Fortgang der Handlung oder des Gedankens ohne Gegensatz an.* Loci Aristophanei sunt: Ach. 995. Eq. 1340. 1366. Nub. 609. 963. 1117, ubi nota membra per *ἤν δέ* v. 1121 et 1126 denique per *κἄν* 1128 continuata, Vesp. 116. 552. 607. quo loco habes *πρῶτα μέν* cui quod respondet *κἄπειτα* logica quadam permutatione non eo quo debebat loco

legitur, Vesp. 1104. 1277. Pac. 605. Av. 114. 558. 1105. 1286. Lys. 574. 1024. Thesm. 189. Ran. 1063. 1189 ubi legis *πρῶτον μὲν — εἶτα — ἔπειτα — εἶτα* Eccl. 60. 436. Plut. 656. 728. 771. Dubitari possit de Lys. v. 1074, ubi quum legatur

ἄνδρες Λάκωνες πρῶτα μέν μοι χαίρετε
εἶτ' εἶπαθ' ἡμῖν πῶς ἔχοντες ἥκετε.

nescio an quis hunc locum non a lege illa abhorrere dicat, quamquam ideo lectionem *μέν μοι* quam praebent Rav. Aug. Junt. non mutaverim in *μέντοι* quod videtur in A et B exstare, quae voces etiam Lys. v. 911 confusae sunt ubi *μέν σοι* Bergk. Eng. cum cod. Aug. *μένιοι* Meinekius. Similes sunt loci Ach. 1162 *τοῦτο μὲν — κἄϑ'*; Eq. 128 *πρῶτα μὲν — μετὰ τοῦτον αὖϑις*; Nub. 612: *πρῶτα μὲν — ἄλλα τε*; Pac. 739: *πρῶτον μὲν — τοὺς τε* cf. v. 741; Ran. 687: *πρῶτον οὖν — εἶτα*, Plut. 716 *πρῶτον δὲ — ἔπειτα*. Etiam hac in dicendi ratione omitti posse *πρῶτον μέν* docet Plut. 1103, ubi simul habes membra sequentia per *ἔπειτα* addita, ut Ran 1189, pro usitatiore *πρῶτον μὲν — ἔπειτα — ἔτι δὲ καί* cf. Stallb. ad Phaed. 89 A. Porro quod tertio loco statuimus *πρῶτον — ἔπειτα δέ* apud Aristophanem ter tantum invenitur Eq. v. 24. Nub. 1363. Av. 1330. quorum in vocabulorum usu certam sibi scripsisse legem non videtur comicus. Quum enim Nub. 1363 per voces *ἔπειτα δέ* oppositio inferatur, Eq. v. 24. *εἶτα δέ* oppositionis vim non habent, neque magis eam inesse dicas in Av. v. 1330. *Πρῶτον* in his locis omnibus temporaliter dictum est. Similiter se habet Thesm. 16, ubi quum legatur *πρῶτα δέ* frustra quaeras oppositionem. Denique legitur *πρῶτον μὲν — ἔπειτα δέ* (cf. A. Doberenz. Quaest. Demosth. p. 27.) quem usum jure rariorem dicit Müllerus ad Ach, 648 nam ter tantum exstat apud Aristophanem locis his: Ach. 648. Vesp. 1177. Av. 709. Hac in dicendi ratione in verbo quod est *πρῶτον* omnino de tempore non cogitatur, quum de membrorum con-

secutione in oratione tantum agatur, neque tam inest oppositio in voce δέ post ἔπειτα, quam transitus notio ad ea quae sequuntur. Prorsus idem habes in simillimis Av. 157. 612 ubi verbis πρῶτον μέν respondet τοῖς δ'αὖ v. 616; Ran. 1528. Non respondente membro aliquo πρῶτον legitur Av. 483. 642. Ran. 1120. 1124. 1422. 1455. Eccl. 66, atque addita μέν particula praeparativa Ach. 637 Eq. 773. Nub. 224. 537. 649. 1016. Av. 164. Eccl. 215 denique πρῶτιστον μέν Lys. 555. Thesm. 659. Denique nota Lys. 998 ubi voci ἔπειτα praecedit vox ἄρχεν quae vicibus fungitur vocis πρῶτον, quo ceterum loco quod legebatur μέν recte ab Engero deletum esse ea demonstrant, quae de vocibus πρῶτον μέν sequente ἔπειτα disputavimus. Atque haec fere sunt quae de simplici responsione particularem μὲν — δέ proferenda erant, nisi quod fortasse addendum particulas μὲν — οὐδέ uno Av. 1039 legi; restaret verba facere de locis ubi plura membra leguntur quibus apparent particulae μέν et δέ. Sed haec dixisse nunc satis habebo tum quod fines angustos dissertationis egrederetur materia, quum quia haec omnia potius in particula δέ tractanda sunt.

Jam haec omnia, quae hucusque disputavimus si consideraveris, etiamsi hoc vel illud exemplum alii fortasse classi melius posse adnumerari dices, tamen, nisi fallor, videbis, Aristophanem particula μέν imprimis ubi respondet δέ, admodum simplici ratione usum esse. Quae apud comicum notanda sunt non ab artificiosis constructionibus proficiscuntur, sed ab ipsa comici sermonis vivacitate. Huc, ut exemplis quae dico probem, pertinet, si quando, adhibitis in duobus membris μὲν — δέ, alterum membrum interrogationis formam induit, id quod vel maxime ibi fieri solet, ubi aliquis cum impatientia eum qui loquitur justo tenore pergere non patitur, sed interrogatione loquentem interrumpit. Sic alterum membrum interrogationis forma profertur Eq.

203. 1003. 1364. Nub. 201. 348. Av. 358. Thesm. 632. Eccl. 255. Etiam prius membrum interrogativum legitur Vesp. 682. Porro in secundo membro post orationem obliquam habes subitum transitum in rectam dictionem Thesm. 266. Ran. 1006; eodemque modo prius membrum directa alterum indirecta oratione legis Vesp. 572. In secundi membri constructione omnino notandum est comicum formas vel maxime varias adhibuisse. Sic adhortationis speciem prae se fert Plut. 619, quum Pac. 775 in priore membro adhortatio contineatur, alterum enuntiati conditionalis forma addatur; Lys. v. 283 in priore membro habes participium in altero enuntiatum conditionale; denique, id quod jam supra monuimus, praemissa in priore membro particula *μέν* alterum omnino non sequitur, sed aliqua causa commotus constructionem omittit poëta, vel maxime ibi, ubi altera quaedam persona loquentem interrumpit ut Eq. 773. Nub. 649. Multis etiam locis constructionem ita vides mutatam, ut prius membrum sit pendens, alterum per se constet, cujus rei exempla sunto Nub. 1108. Vesp. 552. Pac. 410. 556. Av. 76. 157. 185. 1089. Lys. 1207. 1271. Thesm. 418. 478. Locos ubi simplicem *μέν* sequitur periodus per *μὲν — δέ* bimembris non multos habes apud Aristophanem cf. Eq. 764. Vesp. 673 quibus adde Plut. 489 ubi in eadem constructione habes secundum *μέν* omissum post *τοὺς*; neque majorem invenias eorum numerum, quibus in enuntiatum bimembre inter singula membra periodus bimembris per *μέν* et *δέ* illata est, ut Av. 709. 837 eodemque modo Plut. 665. ubi in positione primaria habes *μέν γε — τέ*.

His locis membrorum responsio per hoc exprimi potest schema:

μὲν — μὲν — δέ — δέ

quum prius *μέν* ultimo *δέ*, alterum priori respondeat. Atque

in eadem dicendi ratione etiam alterum *δέ* alterumque *μέν* posse omitti, ita ut habeas

μέν — *o* — *δέ* — *o*

docet Eq. v. 1295 ubi post *αὐτόν* desideratur alterum *μέν* et post *φάσιν* v. 1300 alterum *δέ* quod respondeat priori *μέν*. Aliquanto usitatior id est, ut secundo membro periodi altera subjiciatur periodus bipartita per particulas *μέν* et *δέ*. Habes hunc usum Ach. 600 sqq. Nub. 1401. Thesm 821 sqq. 855—860. Ran. 80. 82. 1298. 1301. Contra sat multis locis habes particulam *δέ* pluries post *μέν* illatam, de qua re in particula *δέ* dicendum erit, quo in usu eis locis, ubi particulis *μὲν-δέ* membra non tam opponuntur quam copulantur, sequentia per voces *καί* et *τέ* possunt inferri ut Eq. 305. Pac. 1246. Av. 977. Lys. 1152. Eccl. 1112.

De particulae *μέν* positione pauca tantum addenda sunt. Ubi enim solitarium habemus *μέν*, voci additum est cui augendae inservit, ubi responsio adest notum est particulas non debere post eas voces collocari quae sibi respondent (cf. Kühner ad Exped. Cyr. I. 8. 6) cujus rei ut apud alios, ita apud Aristophanem exempla sunt sat multa. Tum logica quadam permutatione membrum per *δέ* illatum non accurate respondet priori ut Eq. 738. Vesp. 607. Eccl. 586. Proprie notandus est Lys. v. 662 ubi in chori carmine habes *μέν* et *δέ* in tmesi collocatas. Atque haec hactenus!

Sequatur particula *μέντοι* (cf. Hoogeveen. doctr. part. p. 361 sqq. Herm. ad Viger. p. 839. Klotz ad Devar. II. 663 Hartung. Part. II. 393. Bäuml. Part. p. 247.) in qua usurpanda Aristophanes in singulis comoediis mirum quantum differt. Atque mirari fortasse aliquis posset, quum particula *καίτοι*, id quod infra videbimus, in Pacis fabula non inveniatur, etiam *μέντοι* in hac fabula bis tantum inveniri,

nisi in talibus, quum certa lex quaedam ex comoediarum ordine effici non possit, forte rem miram natam esse dicendum sit. Particula *μέντοι*, quae ex *μέν*, id est *μήν*, particula et *τοί* orta est, utriusque harum particularum significationem exhibet, ita tamen, ut, quum apud Homerum *μέν τοι* duobus verbis inveniatur, (cf. Il. VIII. 294), apud Atticos et *μέντοι* et *καίτοι* in unam coaluerint vocem. (cf. Ellendt. Lex. Soph. II. p. 79. sq.). Utuntur hac particula attici sermonis scriptores, interque eos Aristophanes, ad augendam vocis aut enuntiati cujusdam vim, atque ita quidem, ut mox ad enuntiatum antecedens respiciat ejus vis, mox ipsum tantummodo enuntiatum afficiat in quo legitur, ut Ran. v. 61. Talibus locis, inter quos potissimum numerandi sunt ei, quibus in responsionibus legitur particula, prope accedit ad adverbii aliquam similitudinem et orationi speciem addit rei incertae. Atque ut primum eos locos in censum vocem, ubi *μέντοι* particula, in responsione posita, vocem aliquam auget, ante omnia is usus est notandus, quem sequitur Aristophanes, ut, si quando quis cum admiratione interrogat, alterum respondentem faciat addita particula *μέντοι*. Sic e. g. Eq. v. 168 legimus:

ἐγώ; — σὺ μέντοι. κ'οὐδέπω γε πάνθ' ὁρᾷς.

Obstupefactus est Agoracritus oratione servi, qui eum mox rerum apud Athenienses esse potiturum dicit, et quum non intelligat, quomodo, ut ipse postea dicit, *ἀλλαντοπώλης ὢν ἀνήρ*, id est homo frugi, fieri possit, summopere miratus interrogat *ἐγώ*; cui si respondet servus *σὺ μέντοι*, facile intellegis per perticulam *μέντοι* pronomen summa cum vi efferri, nec negabis, *μέντοι* in talibus idem valere atque Latinorum *certe* Germanorum *allerdings*. Persimiles sunt loci Pac. v. 1290, ubi legimus *σὺ μέντοι, νὴ Δία*, ut eo magis efferatur responsionis vis, eodem modo ut Av. 1651, et non addita jurisjurandi formula Lys. 498. Eccl. 1130. (cf. Heindf. ad Plat. Cratyl. 430 B.). Atque quum semel mentionem fece-

rim locorum, quibus pronomen personale cum particula quae est *μέντοι* conjungitur, eis statim alios locos subjungam, ubi eodem fere modo in enuntiatis affirmativis formae quaedam pronominis particula *μέντοι* efferuntur. His locis *μέντοι* interdum merae corroborationi inservit, ut Ran. v. 171, ubi legitur *οὗτος, σὲ λέγω μέντοι, σὲ τὸν τεθνηκότα* quo loco *σὲ λέγω μέντοι* idem est, quam quod Plut. v. 1099 legitur *σέ τοι λέγω*. Quod legitur *σὲ λέγω μέντοι* pro eo quod fortasse exspectes *σὲ μέντοι λέγω*, mirum non esse neque inusitatum Fritzschius docuit (cf. Fritzschii Quaest. Luc. p. 28) Adde quod etiam Av. v. 339 particula *μέντοι* illam ad quam pertinet vocem *σύ* praecedit, in tetrametro quidem trochaico, quum in trimetris jambicis eam semper sequatur. Aliter res se habet Eq. v. 885 ubi verbis *ἔμοιγε μέντοι* oppositio infertur, ita ut hoc loco *μέντοι* Latinorum sit *tamen*. Ad Ranarum versus similitudinem deinde propius accedit Eq. v. 1152 ubi *μέντοι* vocem quae est *ἐγώ* effert, simul autem voci respondet particula *δέ* v. 1154. Singulari quodam modo particula *μέντοι* usus est Aristophanes duobus locis Av. 933. Thesm. 218; quorum priore legitur loco:

οὗτος, σὺ μέντοι σπολάδα καὶ χιτῶν' ἔχεις
ἀπόδυθι, καὶ δὸς τῷ ποιητῇ τῷ σοφῷ.

quum altero illo e Thesmophoriazusis desumpto legantur verba:

Ἀγάθων, σὺ μέντοι ξυροφορεῖς ἑκάστοτε
χρῆσόν τί νυν ἡμῖν ξύρον.

Utroque loco enuntiatum illud, in quo vocem *μέντοι* posuit poëta causam quasi quandam inducit, ita tamen, ut non *γάρ* particulae instar sit, sed cum ironia quadam proferatur, quam saepius exprimi per particulam *μέντοι* Nub. v. 340 docet, ad quem versum adnotavit Hermannus: „*μέντοι est enim vero; quum serio dicentem facit Socratem poëta ipse id*

vult ironice accipi." Huc etiam velim trahas Nub. v. 329 de quo versu idem valet.

Porro ut pronomen personale, ita etiam et alia pronomina et adverbia particula *μέντοι* corroborantur. Sic quater invenitur adverbium aliquod ea voce auctum, Lys. 1095: *εὖ μέντοι λέγεις*, Thesm. 9 *δεξιῶς μέντοι λέγεις* ubi sibi ipse respondet Mnesilochus, quoque cum loco optime conferri potest locus Platonis ex Parmenide p. 430 B. ubi eodem modo legitur *ἀληθῶς μέντοι* (cf. plura ap. Heusd. Spec. crit. p. 6.); Plut. v. 1052 denique Eccl. 646, ubi adverbium *πολύ* comparativo oppositum per particulam *μέντοι* augetur. Praeter hos locos huc trahendus est Av. v. 1071 ubi *μέντοι* voce vocabula *τῇδε ἡμέρᾳ* adverbialiter dicta efferuntur. Notandum est hoc loco particulam inter articulum et substantivum mediam interpositam esse. Saepius demonstrativa per particulam *μέντοι* aucta leguntur, et quidem *ταῦτα μέντοι* Nub. 588. Av. 1351. Lys. 1016; *ταυτί μέντοι* Lys. 968; *τοῦτο μέντοι* Vesp. 426. Av. 661. Thesm. 714. Ran. 743. *τουτί μέντοι* Pac. 1100. Thesm. 520. *τοιαῦτα μέντοι* Eq. 1221. Nub. 1361. Av. 100. Ran. 971 *τοιουτί μέντοι* Ran. 1325. Omnibus his locis significatio particulae in aprico est. Plane eodem modo etiam verbis additur particula *μέντοι* ut eorum significatio majore cum vi eluceat. Sic Ach. 162 ubi quod voluit Brunckius *μέντἂν γε*, Aristophani non testatum, recte jam improbavit Porsonus ad Eur. Med. 863 *μέντἂν* restituit Kidd. ad. Daw. Miscell. p. 496. Particula *ἄν* in hac particularum conjunctione ad verbum spectat, neque vero ad particulam (cf. Herm. de part. *ἄν* lib. I. p. 14 ad Viger p. 840). Porro verbo addita est particula Ach. 906. Nub. 1338 (ubi cf. Herm. adnot.) Eccl. 651. Plut. v. 1062 ubi pro lectione *μέντἂν* exhibet *μὲν οὖν* Eustath. p. 1263. 61. In interrogatione particula *μέντοι* raro legitur apud Aristophanem (cf. Krüger. Gr. Gr. §. 69. 36). Loci sunt Nub. 787. 788

Thesm. 630 quo de loco conferas velim Reis. Conjectt. I. p. 231. Mein. cur. Crit. p. 24. Fritzschium, qui ἡμῖν legere vult, miro modo de hoc loco hallucinari recte adnotavit Engerus.

Restat ut verba faciam de particula μέντοι cum aliis particulis conjuncta. Atque, ut inde proficiscar, ἀλλὰ μέντοι de qua particularum conjunctione verba fecit Klotz. ad Devar. II. 60. 663. uno tantum loco invenitur Av. 291 ubi leguntur illae particulae in interrogatione mirantis. Interposito aliquo vocabulo ad quod pertinet particula μέντοι, quum per ἀλλά enuntiatorum ratio exprimatur ἀλλὰ — μέντοι (cf. Klotz ad Dev. II. 60. 663) legitur Ach. 710. Nub. 1342. In ejusdem fabulae v. 126 ubi legitur ἀλλ' οὐδ' ἐγὼ μέντοι κτἑ particula magis ad pronomen referenda videtur, perque illud totum afficit enuntiatum. Porro καὶ μέντοι voce nulla interposita legitur Eccl. 509. quo loco optime intelligimus μέντοι particulam ad ipsam enuntiatorum conjunctionem majore cum vi efferendam positam esse, quum sequantur voces σύ μὲν — ἐγὼ δέ. Interposita alia voce καὶ — μέντοι (cf. Krüger. §. 69. 36) legitur Ach. 544, quo loco pro particula quae est καὶ fortasse quis exspectare possit ἀλλὰ, quum oppositionem per eam particulam introducat poëta. Particula μέντοι in talibus primum illius quod praecedit verbi vim auget, simul vero vim suam exercet in totum enuntiatum. Hoc loco media interposita est inter adverbia κάρτα et εὐθέως, sensu arcte conjuncta, eodem modo ut Ran. v. 166 legitur inter ταχέως et πάνυ. Ceterum illo Nubium versu eadem lis exorta est de scriptura, et quum ante Dindorfium legeretur μὲν τἄν etiam hoc loco recte restituit genuinam scripturam μέντἄν Kidd. ad Daw. Miscell. p. 496. Eodem modo καὶ μέντοι interpositam vocem ταῦτα urgent Ach. 1025 ubi verbis καὶ ταῦτα μέντοι gradatio aliqua efficitur, quum rusticus ille non Dicaeopoli re-

spondeat, sed in oratione pergat ac si ille numquam locutus fuisset. Atque hoc loco si gradatio quaedam ad majus efficitur illis particulis, ex adverso gradatio quae dicitur ad minus eisdem illis oritur vocabulis Eq. v. 189:

ἀλλ' ὠγάθ' οὐδὲ μουσικὴν ἐπίσταμαι
πλὴν γραμμάτων, καὶ ταῦτα μέντοι κακὰ κακῶς.

Tum Eq. v. 540 verbis *καὶ — μέντοι* interpositum pronomen *οὗτος* maximopere augetur, quum per particulam *καί* illo loco res plane nova, eademque prorsus inexspectata addatur. Multa, dicit poëta, perpessus est Crates, nihilominus ille solus omnia sustulit. Ad solum verbum interrogativum *μέντοι* particula videtur pertinere in cantico illo Vesp. v. 748 ubi leguntur verba:

νῦν δ'ἴσως τοῖσι σοῖς λόγοις πείθεται
καὶ σωφρονεῖ μέντοι μεθ' —
στὰς ἐς τὸ λοίπον τὸν τρόπον κτέ.

Denique quum Ran. 166 mentionem jam fecerimus, restat Eccl. 969 ubi eodem modo atque Acharnensium illis locis *καὶ ταῦτα μέντοι* legitur, quamvis hoc loco non tam gradatio quam conclusio quaedam illis particulis efficiatur.

Negationum nisi *οὐ* et *μή* nullam particula *μέντοι* auctam invenimus apud Aristophanem, neque inveniuntur loci, ubi negatio a particula separata est, qualis est versus ille Phrynichi apud Mein. Com. Gr. II. 581. 3. *Μὴ μένιοι* uno loco, Plut. v. 554, legitur, quem locum jam attulit Klotz. ad Devar. II. 664, ubi particula *μέντοι* oppositionem summa cum vi infert. Particulae *οὐ μέντοι* ter leguntur, et quidem Vesp. v. 231, ubi quum Richterus et Bergkius interrogationis signum ponerent post verba *ὦ κωμία βραδύνεις*, Meinekius punctum praeoptavit. Qua de re quamquam vix hujus loci est discernere, tamen pro Meinekii sententia liceat in transitu afferre Nub. v. 5 persimilem, paucisque

addere, Aristophanem Av. v. 1668 ubi *οὐ μέντοι* legitur in responsione haec verba in responsionis initio posuisse. Ceterum *οὐ μέντοι* praeter hunc locum legitur Vesp. 664. Av. 1668, quibus omnibus *μέντοι* negationem effert, quum ad efferendum enuntiatum ubique addantur verba *μὰ τὸν Δία*.

Agmen claudant loci, ubi cum particula quae est *μέντοι* conjuncta legitur particula *γέ*, de qua particularum conjunctione auctore Porsono ad Med. 675 rixa exorta est. Atque de his particulis primus Personus ille existimare se dicit Atticis non licuisse *γέ* post *τοί* (itaque etiam post *μέντοι* et *καίτοι* cf. Pors. ad Hec. 403 ad Phön. 1638) ponere, nisi vocabulo alio interjecto, idem tamen perpaucas exceptiones inveniri concedens veluti Thesm. 716 (709 ed. Mein.) Eur. Jph. Taur. 726. Postea vero accuratior quaestio nos docuit unumquemque fere scriptorem suam in his sequi rationem. Thucydides enim quum has particulas non conjungat nisi interposita aliqua voce (cf. Krüger ad Thuc. I. 3. 2) Aristoteles vero ex adverso non solum *μέντοι γε* sed etiam *μέντοι — γε*, interpositis vel duobus verbis usurpet (cf. Eucken de Aristot. dic. ratione p. 35), Aristophanes *μέντοι γε* et *γὲ μέντοι* posuit, *μέντοι — γε* plane vitavit, quamquam primum illud *μέντοι γε*, de quo velim conferas Krüger. ad Anab. I. 9. 14. Lobeck. ad Phryn. p. 342. Reis. Conj. I. 235 nisi Thesm. v. 709 non legitur, quo loco id accedit, quod praeit particula *καί*. Particulae *γὲ μέντοι* quinquies leguntur in comoediis, et quidem pone imperativum Vesp. 1155 interpositae inter adverbium et verbum Av. 1692, inter praepositionem et casum Lys. 1213, inter verbum et personam Eccl. v. 1008 post particulam conditionalem *εἴ* Plut. v. 1202. Particula *γέ* in talibus suppletiva potest nuncupari, quum *μέντοι* pro natura sua enuntiatum extollat. Prorsus eodem modo res se habet in particularum conjunctione *ὅμως γε μέντοι*, quam infra accuratius tractabimus, quaeque legitur

Ran. v. 61. Vesp. 1344. — Nub. 1269 vehementer dissentiunt viri docti, utrum scribendum sit *γὲ μέντοι* an *τὲ μέντοι*; sed rectum videtur vidisse Bergkius, totum illum versum ejiciendum esse censens.

Praeter has particulas apud Aristophanem nulla cum particula *μένιοι* invenitur sociata, ita ut neque *ἔπειτα μέντοι*, quod est apud Theopompum, (Mein. Com. Graec. II. 819. 12), neque *μέντοι ἄρα*, quod dicit Crates (Mein. Com. II. 235. 1) apud comicum exstent. Neque nomen proprium apud Aristophanem invenias particula *μέντοι* auctum, ut in versu Alexidis ap. Mein. Com. 423.

Atque haec fere erant quae certa proferri possunt de usu quem secutus est Aristophanes in adhibenda particula *μέντοι*, nunc sequantur particulae *καίτοι, καίπερ, ὅμως*. In particula *καίτοι* aeque atque in *μέντοι* mirum quantum singulae comoediae differunt. Quum enim in Nubibus duodecies haec particula legatur, in Vespis sexies, in Lysistrata quinquies, in Acharnensibus quater, in Ranis ter, in Equitibus bis, in Avibus semel, in Pace denique numquam invenitur. De sententia particulae quum diu varia protulerint homines docti (cf. Devar. de part. I. 108—112. Vigerum. p. 529), Hermannus (ad Viger. p. 837) statuit, eam ubique ad Latinorum accedere *quamquam*, cui assensi sunt Klotz. ad Dev. II. 653. Stallb. ad Plat. Legg. VII. 809. C. Reis. Conj. I. 296. Recte quidem, quum particula *καίτοι*, ex particulis *καί* et *τοί* coaluerit, — quapropter recte eam una voce scribendam esse statuit Ellendtius (Lex. Soph. I. 886) — quarum prior novam cogitationem infert, altera restringentis est ita ut *καίτοι* ad vocem reddatur nostratium vocibus „*und doch*“. Itaque hanc significationem in omnes Aristophanis locos quadrare videbimus, et quamvis nonnullis locis ea for-

tasse non tam in aprico sit, quum interdum verba per *καίτοι* introducta aut ad causae alicujus, qua quid accuratius definitur, aut ad oppositionis speciem accedant, ita ut nonnumquam particulam per *atqui* vertere velis vel tale quid, de his omnibus verba valent Krügeri, qui ad notum illum in epitaphio Thucydidis locum (Thuc. II. 64. 4), *καῖτοι ταῦτα ὁ μὲν ἀπράγμων μέμψαιτ' ἄν κτέ* adnotat: *καίτοι steht in Bezug auf den Gegensatz, mit Poppo aber* atqui *zu erklären ist nicht nöthig.* Una enim sine dubio statuenda est vocis significatio, ex locorum maximo numero eadem derivata, et si quando ab hac significatione particula videtur deflectere, magis id agendum erit, ut explicemus, quomodo hoc loco, quamvis specie diversa, tamen re ad primariam significationem redeat, quam ut quoque loco novas difficilesque excogitemus significationes. Apud Aristophanem igitur *καίτοι* legitur, ut in enuntiatis affirmativis, ita in interrogationibus, atque in affirmativis enuntiatis restrictivam plerumque vim exhibet latinae vocis „*quamquam*", interdum etiam accuratius definientis est. Loci sunt: Ach. 370 Eq. 855. 977, Nub. 371. 373. Vesp. 15. 599. 1046. 1301. 1459. — Vesp. v. 980, ubi Bdelycleo dicit haec: *καταβήσομαι.*

καίτοι τὸ κατάβα τοῦτο πολλοὺς δὴ πάνυ
ἐξηπάτηκεν ἀτὰρ ὅμως καταβήσομαι.

eximie notandus est propter verba *ἀτὰρ ὅμως* verbo *καίτοι* opposita, id quod praeter Ran. v. 43 ubi legitur *καίτοι — ἀλλ' ὅμως*, apud Aristophanem non invenies. Sed conferas velim Plat. Phaed. 68 E. et 69 A ubi eodem modo legitur *καίτοι — ἀλλ' ὅμως*, quamquam quod apud eundem Symp. p. 177 E. legitur *καίτοι — ἀλλὰ — ἀλλά* apud comicum non habes. Miror ceterum de hoc particulae *καίτοι* usu prorsus tacuisse Astium in Lexico Platonico. In interrogationibus *καίτοι* semet ipsum corrigentis est in formula: *καίτοι τί λέγω*; Eccl. 299, quae verba vides accurate respondere

Latinorum „*quamquam quid loquor*?“, *καίτοι τί δρᾶσω;* Ach. 466 et Ran. v. 1304:

ἐνεγκάτω τις τὸ λύριον, καίτοι τί δεῖ
λύρας ἐπὶ τούτων;

Restringentis est Nub. 1045. 1052. 1074. 1082. 1425 ubi restrictivam vim probe intelliges si interrogationem mutaveris in enuntiatum affirmativum Plut. v. 498. 531. Fischerus particulam et illativam esse et adversativam statuit, sed nulla necessitate coactus ita explicuit.

Particularum vero reliquarum nisi *γέ* nulla cum *καίτοι* conjungitur, de qua particularum conjunctione eadem lis exorta est atque de particula *μέντοι* cum *γέ* sociata. Sed ut in particula *μέντοι* ita etiam in *καίτοι* differunt scriptores, ita ut alii *γέ* post *καίτοι* non adhibeant, nisi verbo interposito, ut Thucydides (cf. Krüger. ad Thuc. I. 3. 2. ad Dionys. Hal. p. 266) alii vero modo *καίτοι — γε*, modo *καίτοι γε* usurpent, ut Plato (cf. Stallb. ad Plat. Resp. I. 332. A.) Xenophon (cf. A. Kühner ad Xen. Memorab. I. 2. §. 3) Aristoteles (cf. R. Eucken. l. c. p. 35) (cf. Lobeck. ad Phryn. p. 343). Apud Aristophanem *καίτοι γε* certo loco legitur Ach. v. 611, ubi tamen *καίτοὐσοίν γε* Elmsleius, Porsoni in verba juratus, sed parum recte. Altero loco Nub. 876 editores dubitant. Meinekius nuperrime *γέ* post *καίτοι* delevit contra Ravennatem, quem secutus Hermannus *καίτοι γε* posuit, quum Reisigio (Conjectt. I. 957) melius placeret *καίτοι ταλάντου γ'*. Recte, ut videtur Hermannus et Ravennas, quamquam apud ceteros comicos *καίτοι γε* non invenitur. Quod ad significationem *καίτοι γε* fortius idem exprimit atque simplex *καίτοι*, (cf. Herm. ad Viger. 837. Reis. Conj. I. p. 296), *γέ* enim illud suppletivum est, et quum recte dicat Teuffel. ad Nub. 876 ; „*restringitur id quod antea negaverat fieri posse, ut homo tam rudis postremo evadat orator*“, haec restrictio particula *γέ* extollitur, quae igitur fines enuntiati

egreditur, et auctoritatem suam exercet in enuntiatum praecedens, eodem modo, ut in ὅμως γε et ἀτάρ γε. Saepius καίτοι — γε interpositis una aut pluribus vocibus legitur, qua in re cavendum est, ne promiscua habeatur utraque formula. Quum enim in καίτοι γε vocula γέ proprie ad τοί particulam pertineat, per eam autem vocem simul totum enuntiatum afficiat, (cf. Stallb. ad Plat. Resp. I. 332. A.) in καίτοι — γε particula γέ ad verbum interpositum pertinet cf. Krüger. Comment. ad calc. Dion. Hal. p. 267. Kühner. ad Xen. Mem. I. 2. §. 3. Schaefer: Appar. crit. ad Demosth V. 21.) Particula vero γέ post καίτοι ita collocatur, ut vulgo unum intercedat verbum, tribus locis duo aut tres. Verbum interponitur Ach. 358. Av. 264. Ran. 43. Plut. 337; adjectivum Nub. 400. 921. Ran. 1072. Uno loco substantivum cum praepositione conjunctum sequitur vocem καίτοι Eccl. v. 20. atque hoc loco γέ substantivum sequitur, non interponitur inter praepositionem et casum. Contra Eccl. v. 159 γέ inter articulum ponitur et substantivum. Scilicet Eccl. v. 20, in praepositione in consonantem terminante, spondaeum intulisset in sedem parem, contra Eccl. 159, articulo in vocalem exeunte, hoc periculum non instabat quare dolendum est, quod in tam parvo exemplorum numero hoc non effici potest, quam in his rebus sibi scripserit legem Aristophanes. Ubi tres interpositae sunt voces Nub. v. 1257 et Lys. 905, una eorum inclinata est et Lys. 905 per apocopen quam arctissime cum negatione conjuncta, ita ut tres illae voces fere duae evadant.

Καίπερ particula, ad quam nunc si placet transeamus, paucis tantum verbis potest tractari. Legitur cum participio Nub. 890. Lys. 826 ubi notandae particulae ἀλλ' ὅμως — καίπερ — ἀλλά; ibid. 980. Thesm. 371 loco spurio, ibid. 938. Omnibus his locis participium additum est, ita ut uberius de hac particula disputandum non sit.

Neque longius disserendum erit de particula ὅμως (cf. Bäuml. Part. p. 170 sqq.) quippe quae in Aristophane quater tantum sola appareat, significatione latinae vocis *tamen* (cf. Zeun. ad Viger. p. 428). Legitur Vesp. v. 92 ubi sibi respondent κἄν — ὅμως, Av. v. 83, ubi sequente imperativo aoristi oppositionem infert, Ran. 1036. Eccl. 889. Ceteris locis omnibus particula ὅμως cum aliis particulis conjungitur, et primum quidem dicitur sat multis locis 'ἀλλ' ὅμως (cf. Klotz. ad Devar. II. p. 72 sqq.), quorum locorum imprimis mirabiles sunt Ach. 402 et 408, a Klotzio explicati, Av. 1224, ubi legitur ἀλλὰ — ἀλλ' ὅμως ἄν cum indicativo aoristi. Praeterea ἀλλ' ὅμως legitur Eq. 391. Nub. 587. Vesp. 1085. Lys. 276. 292. 825, ubi quod in membro opposito verbis ἀλλ' ὅμως respondet vocabulum καίπερ subsequitur, quum Ran. 42 καίτοι antecedat, ἀλλ' ὅμως sequatur; Ran. 602 et Eccl. 413. Per se notandus est Lys. v. 500, ubi ἀλλ'-ὅμως legitur in tetrametro anapaestico, interpositis nonullis vocabulis, quod praeter hunc locum non invenitur. De interpunctione Ach. v. 926 cf. Lobeck ad Soph. Ajac. p. 65. Particulae ἀτὰρ ὅμως leguntur Vesp. 981. Similiter legitur δ'ὅμως atque praecedente quidem particula μέν ad quam referatur δέ Ach. 455. Vesp. 951. Av. 452. non praecedente μέν Pac. 481. Eccl. 860. Paullo aliter dicitur ὅμως δέ, quod est Latinorum fere *verumtamen* aut *nihilominus*. Quum enim δ'ὅμως ad praecedentia spectet, atque conclusionis vim habeat, ὅμως δέ magis in sequentia vim suam exercet majore cum vi oppositionem inferens, atque significans, aliquam rem tamen posse fieri quamquam quae antecedunt monstrare videntur eam fieri non posse. Leguntur particulae Pac. 1216. Thesm. 471. Ran. 870. Eccl. 266. 326. 1105 ubi fortasse melius cum Meinekio (Vind. Arist. p. 205) legitur ὑμᾶς, 1137 Plut. 1084. Quod hac in dicendi ratione a codicibus interdum δέ particula omittitur nullius momenti est. Particulae

ὅμως γε μέντοι bis leguntur, Vesp. 1344. Ran. 61. quibus locis ὅμως leniter concludentis est, quo simul enuntiatum antecedens aliquatenus restringitur, id quod addita particula γέ augetur. Est igitur simillimum particulis ἀτάρ γε μέντοι particula in his fines enuntiati non egreditur, atque asseverantis est. Prorsus eodem modo particulae ὅμως γε μήν leguntur Nub. 631. 822 et dorice Lys. 144 ubi verbum substantivum tempore futuro ex antecedentibus supplendum. Ὅμως particula cum participio conjuncta, de quo usu dicendi verba fecere Heindf. ad Plat. Lys. p. 213. B. ad Theaet. 145 D. Elmsl. ad Bacch. 787 ad Med. 1216. Reisig. Enarr. Oed. Col. p. XCVI. apud Aristophanem non exstat, et nescio an omnino dicendum non sit, hanc dicendi rationem a sermone comicorum ideo alienam esse, quia sublime aliquid in se continet, quum id me mirum habeat, quod ne apud reliquos quidem, quos novimus atticae comoediae poëtas vocula ὅμως cum participio conjuncta legitur, nam in Alexidis illo versu, (cf. Mein. Com. Graec. III. 487) ὅμως ad λέγε pertinet neque vero ad ἐκπιών.

Finem faciat particula ἀτάρ (cf. Klotz. ad Devar. II. 195. sqq. Bäuml. Part. p. 50 sqq.) quae apud Aristophanem satis frequenter occurrit quamquam eam non tam multifaria ratione adhibuit ut fecerunt Tragici et Plato. Sic non respondet antecedenti μέν, neque conjunctioni inservit καί sequente ut apud Platonem (exempla dabit Ast. Lex. Plat. I. 299). Apud comicum septies et quadragies legitur, si recte collegi, quibus locis omnibus satis differt ab ἀλλά, quamquam et librorum scriptores et editores utramque particulam non uno loco confuderunt. Particula enim ἀτάρ ex αὖτε adverbio et ἄρα particula nata, quamvis nonnullis locis

significatione prope accedat ad vocem *ἀλλά*, proprie *rursus* est Latinorum et semper interiorem aliquam rationem habet cum eis quae antecedunt. Hanc vero rationem et significationem primariam gradatim obliteratam esse mirum non est, ita ut nonnullis locis particula fere idem significet atque *ἀλλά*, neque tamen prorsus idem, ita ut non recte fecisse videatur Bäumleinius, qui (Part. p. 52) allatis exemplis quibusdam, dicit: *beide Male konnte auch ἀλλά stehn*, quum quod intercedit discrimen certum, quamquam tenuissimum illum fugere non potuerit qui hos locos accurate contemplatur. Conclusionis enim certa quaedam vis quae in illis locis vi particulae *ἀτάρ* inest, illico evanescet si posueris *ἀλλά*.

Primum igitur, ut ad Aristophanem revertar, particula *ἀτάρ* utitur comicus more scriptorum atticorum in oratione recta, si rem, de qua hucusque sermo erat relinquunt ei qui loquuntur et ad aliam quandam transeunt, cujus rei egregium est exemplum Pac. v. 177:

ἀτὰρ ἐγγὺς εἶναι τῶν θεῶν ἐμοὶ δοκῶ
καί δὴ καθορῶ τὴν οἰκίαν τὴν τοῦ Διός

quibus verbis Trygaeus, qui antea machinatorem exhortatus erat ut curam sui gerat, nunc se jam domum Jovis videre cum auditoribus communicat. At simul hoc loco apparebit, quomodo sensus mutetur, si cum Brunckio *ἀλλ' ἐγγὺς εἶναι* scribimus. Primo quidem obtutu res plane eadem videtur esse, sed si scribis *ἀλλά* respectus ad antecedentia plane tollitur simulque comicus ille habitus quocum haec verba eloquitur Trygaeus, summo cum gaudio itineris periculosi finem conspiciens. Idem Lys. v. 65 in aprico est, quo versu contra metrum pro verbo *ἀτάρ* praebet *αὖταρ* cod. Rav. porro Vesp. 25. 28; quibus locis verbis *ἀτὰρ σὺ λέξον πρότερος* et *ἀτὰρ σὺ τὸ σὸν αὖ λέξον* et Sosias et Xanthias ad ea quae praecedunt revertuntur conclusionem quandam ad-

dentes orationi ut vertere possis *at igitur*, quamquam concedendum est hanc conclusionem non tantopere urgeri quod ut fiat apponenda erat vox *οὖν* quae apud Aristophanem cum voce *ἀτάρ* conjuncta non legitur. Porro conferantur Thesm. 1119. Eccl. 1067 et Eq. v. 111. Nub. 382 quo versu per particulam *ἀτάρ* Strepsiades, objectionis forma usus, ad tonitrua revertitur, antea a Socrate meliora nondum edoctus. Apud imperativos deinde *ἀτάρ* eodem modo atque vox *ἀλλά* legitur Av. 648. Plut. 749 ubi non tam oppositionem infert, quam transitum facit. Vesp. v. 652 nescio an in versu parodico non cum Rav. *ἀλλ' ὦ* legendum sit pro *ἀτάρ ὦ* (cf. Pors. Praef. ad Eur. Hecub. p. LVI.). Tragico quodam, ut ita dicam, modo particula *ἀτάρ*, cum notione quadam conclusionis, consilium quoddam certum loquentis infert Lys. 420. Ran. 160 quibuscum conjungendus est Nub. 761, ad quem versum adnotavit Hermannus: „*Ne quis forte putet verba ἀτὰρ ζητητέον Socrati potius quam Strepsiadi convenire, meminerit velim, alacriorem approbatione Socratis et confidentiorem factum esse Strepsiadem. Accedit aliud minime negligendum. Nam particulae ἀτάρ ea ratio est, ut non quemadmodum ἀλλά etiam ad respondendum alii adhibeatur, sed referatur ad ipsius qui loquitur verba praegressa.* Eodem modo post *οὐκ οἶδα* Nub. 403 legitur *ἀτάρ*.

Porro particula *ἀτάρ* ut omnino ab atticae orationis scriptoribus ita etiam ab Aristophane in interrogationibus ita adhibita est, ut cum aliqua vivacitate is qui loquitur rem de qua sermocinatus erat, dimittat et novam quandam cogitationem eis qui antecedunt opponat. Oppositio in talibus aut fit contra verba alius cujusdam, qui locutus erat, ut Ach. 412 aut ipsis verbis vel cogitationibus ejus qui loquitur aliquid opponitur, ut fit Nub. v. 30. Ceterum de omni hoc usu particulae conferantur Ach. 412. 513. Nub. 30. 187. 675. Vesp. 529. 815. Av. 69. (ubi recte Rav. *ἀτὰρ σὺ* pro

vulgato *ἀλλὰ σὺ*.) Av. 916. Thesm. 87. 214. Eccl. 249, ubi nota enuntiatum conditionale per particulam *ἤν* cum optativo interpositum, ib. 358. 376. 394. 551. 1071. Plut. 1111. In his exemplis omnibus, quod ad voculae positionem, *ἀτάρ* in versus initio legitur praemisso majore aliquo interpunctionis signo quum alibi, ubi non in interrogatione legitur particula, quamvis raro, in ipso versu inveniatur. Sic Nub. 761 post tertiam diaeresin legitur, eodemque loco Eq. 111 quo versu ipsa pronuntiandi ratio, quum vox *ταῦτα* cum vi proferatur, fere idem efficit atque alibi prima versus sedes. Nub. 403 in tetrametro anapaestico post primam diaeresin invenitur, quo de versu idem valet, quod de antecedentibus exposuimus. In melicis *ἀτάρ* non legitur.

Cum aliis particulis *ἀτάρ* praeter *γέ* et *ὅμως* apud Aristophanem non conjungitur, atque injuria Devarius (De part. p. 43), quem secutus est Klotzius (ad Devar. II. p. 197) *ἀτὰρ — γάρ* legi Ach. 513 vult demonstrare Eo enim versu *γάρ* non pertinet ad *ἀτάρ* sed ad verba quae sequuntur *φίλοι γὰρ οἳ πάροντες ἐν λόγῳ κτέ*, ita ut oratio procedat *ἀτάρ — τι ταῦτα κτέ*. Ut enim Ach. 175 oratio procedit *ἀλλὰ χαῖρ' Ἀμψίθεε*, verba autem *ἐκ Λακεδαίμονος κτέ* interjecta sunt, ut eis qui audiunt causam declarent cur Amphitheum salvere jubeat Dicaepolis, sic Ach. 513 per vocem *γάρ* satis eleganter veniam petit poëta, quod in tanto motu populi, qui pronus erat eo tempore ad bellum cum Lacedaemoniis, pro pace dicere ausus sit. Adde quod hoc uno loco spectatores a loquente *φίλοι* nuncupantur, quod certe non sine causa fecit poëta.

Conjunctae igitur in uno versu leguntur particulae *ἀτάρ* et *γέ* de quibus Elmsl. ad Ach. 448 haec affert: *Plerumque post ἀτάρ una alterave voce interposita sequitur γέ nisi imperet aut interroget verbum cui praemittitur ea particula.* Atque ut in omnibus talibus particularum, quas dicunt sensu latiore, conjunctionibus ita

etiam in hac una quaeque particula suam retinet vim, ita ut ἀτάρ oppositionem inferat, γέ autem particula illatam affirmet (cf. Klotz. ad Devar. II. 197). Loci sunt Ach. 448. 782. Vesp. 147. 150. 1141. 1514. Av. 144. Thesm. 207. Plut. 572, quibus in locis de vocum positione notandum in trimetris excepto Vesp. 147, de cujus lectione dubito, semper unam vocem inter particulas illas interpositam esse, aut duas voces quae quam arctissime cohaerent ut Thesm. 207 articulus cum substantivo. Paullo aliter Plut. 572 in metro anapaestico duae voces οὐχ' ἧττον interponuntur, sed etiam has unam formare notionem poteris proferre, ad versum defendendum.

Praeter ἀτὰρ — γέ uno Vesp. v. 981 sqq. legitur ἀτὰρ ὅμως, qua in conjunctione eodem modo suam tuetur vim utraque particula. De Vesparum hoc loco liceat affere quae de eo dicit Klotzius (ad Devar. II. 198): *Eadem vis et potestas particulae ἀτάρ (scil. oppositionis) durat si quando oppositio quam exprimit eo adaugetur, quod adjungitur particula ὅμως, veluti factum est apud Aristophanem in Vespis v. 979. sqq. quo loco hoc dicitur: At tamen igitur descendam, quod est paullo aliter dictum atque illud ἀλλ' ὅμως de quo cf. Devar. II. p. 72.* Recte, nam si legas ἀλλ' ὅμως, καταβήσομαι esset: *At tamen descendam*, ita ut desset vinculi interioris, quod conjungit enuntiata, signum, quod inest in ἀτὰρ ὅμως, simulque magis effertur oppositio contra verba per καίτοι introducta.

Atque haec sufficiant de particula ἀτάρ, cujus vocis pleniore forma quae est αὖταρ comicus nisi in parodia epica non utitur. Legitur Vesp. 1092 in versu homerico (cf. Il α 463. Od. γ. 461), Av. 983 in ficto oraculo post sequente apodosi per δὴ τότε v. 985. Restarent particulae ἀλλά et δέ, de quibus propter locorum copiam et usus varietatem tantam nunc dicere non possum, quare in aliud tempus eas liceat differam tractandas.

CAPUT ALTERUM.

DE PARTICULIS *δή, δῆτα, δήπου, δήπουθεν.*

Absoluto capite quod est de particulis adversativis, hoc altero capite brevi liceat disserere de particula *δή*, et quae ceterae ejusdem sunt familiae.

Primum igitur particulae *δή* satis frequens est apud Aristophanem usus, quamquam, ut par est, ratio qua ea utitur comicus, vel maxime diversa est ab ea, qua hanc particulam usurpant rerum scriptores et philosophi. Quum enim e. g. rarissime *δή* particula apud Aristotelem ita legatur, ut ad unum referatur verbum (cf. R. Eucken: de Aristotelis dicendi ratione p. 37), exempla vero hujus usus jam apud tragicos inveniantur (cf. Ellendt. Lex. Soph. I. 414), apud comicum pervulgata est haec dicendi ratio.

De origine vero et prima vocis significatione vix est quod accuratius dicam, quum de his rebus satis copiose jam egerint grammatici (cf. Klotz ad Dev. II. 392. Hartung. Part. I. 245. Heller in Philol. vol. VIII. 277) nobis sufficit dixisse, omnes apud Aristophanem locos ejus significationis ope posse explicari, quam statuit Bäumleinius (*Untersuchungen über die griech. Partikeln p. 98*) *δή* particulam ibi poni a scriptoribus, ubi aliquam rem *manifestam esse* significare vellent.

Ut igitur accedam ad ipsum Aristophanis usum, primum examinandi erunt loci, ubi *δή* unius verbi vim urguet,

atque ita quidem, ut incipiamus ab ea consuetudine, qua saepius δή vocem ponit post imperativos talesque voces, quae imperativi munere funguntur, conjunctivos dico, et futura, denique post interjectiones.

Videamus igitur primum de particula δή post imperativum posita, cujus usus locorum numero vel maxime differt in singulis comoediis. Quum enim quinquies decies appareat in Ranis, in Pluto bis tantum invenitur in Vespis exempla omnino desunt. Inter exempla vero ea praesertim sunt satis multa, ubi particula δή imperativos sequitur, ἄγε, ἴθι, φέρε; atque in his videndum est, num post adhortationes ἄγε δή et quae sunt similes sequatur imperativus alter, aut conjunctivus, aut interrogatio directa, quorum dicendi generum omnium exempla exstant apud Aristophanem, quamquam et hac in re diversissimus est usus observandus in singulis comoediis. Atque ut a locutione ἄγε δή exordiar, ea in Acharnensibus bis tantum legitur v. 98 et v. 111 qui loci ea inter se conjuncti sunt similitudine, ut in utroque ad augendam orationis vim addatur persona ad quam verba diriguntur. Hoc ubi fit δή particula fere ubique media interponitur inter personam et imperativum. Loci sunt praeter illos: Ach. v. 103 λέγε δή συ; v. 777 φώνει δή συ; Eq. 155 ἄγε δή συ; 482 ἄγε δή συ; Pac. v. 431 ἄγε δή συ; 886 ἄγε δή συ; Av. 435 ἄγε δὴ σὺ καὶ σύ; 675 ἡγοῦ δή συ; Lys. 1295 πρύφαινε δή συ; Eccl. 121 ἴθι δή συ; Plut. 56 ἄγε δή συ; quibus adde simillimos Pac. 458 ὑπότεινε δὴ πᾶς; Ran. 855 ἔυχεσθε δὴ καὶ σφώ; quo loco καὶ particula tam arcto sententiae vinculo cum σφώ conjuncta est, ut in unam fere vocem ambae coalescant; Lys. 1102 ἄγε δὴ Λάκωνες; quo loco ne quis miretur singularem ἄγε cum plurali conjungi, velim animadvertatur, apud comicum non solum ἄγε, sed etiam ἐιπὲ ita in interjectionis quasi quandam speciem abiisse, ut de numero plane non cogitetur, id quod

luculenter docent Ach. v. 319 et quos a. h. l. adnotavit locos Muellerus, quocum cf. quem nominat Reis. Conjectt. I. p. 35. Ἄγε cum numero plurali, ut exempla addam, legitur Av. 435. 656. 685. Ran. 1125. Thesm. 778 nec non et apud Sophoclem Trach. v. 1255, de quo usu miror tacuisse Ellendtium in Lex. Soph. I. p. 11 sq.

Restant loci quattuor quibus res paullo aliter se habet, quorum priore Nub. 478 praecedit imperativus, sequitur persona, altero Ran. v. 1125 eadem apparet vocum collocatio, nisi quod personae loco legis πᾶς ἀνήρ. Ceterorum locorum Ach. 1058:

φέρε δή, τί σὺ λέγεις; ὡς γελοῖον ὦ θεοί

in censum non venit, quia imperativi loco legitur interrogatio directa, Pacis vero v. 956:

ἄγε δή, τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα περίιδι.

λαβὼν σὺ ante καὶ particulam et post τὸ κανοῦν collocanda erant quia, ἀπὸ κοινοῦ posita, et ad τὸ κανοῦν et ad τὴν χέρνιβα referenda sunt.

Sed ut ad ἄγε δή revertar, in exemplis longe plurimis hanc dictionem sequitur imperativus, atque octo quidem locis imperativus aoristi Ach. v. 98, 111. Eq. 634. Nub. 478. 775. Pac. 886. Av. 435. Thesm. 778 septies praesentis, Pac. 431. 956. 1115. Av. 656. 685. Ran. 1125. 1500 quibus locis addi potest Lys. 1100 ubi χρῆ imperativi loco positum est.

Ceterum in imperativi positione parum sibi constat Aristophanes, quem non credo certam sibi de his rebus legem scripsisse. Sic Ach. v. 111. Nub. 478. Pac. 886. Ran. 1125 imperativus voces ἄγε δή et ἄγε δὴ σὺ excipit, Nub. v. 775. Pac. 431 in medio trimetro sequitur, Ach. 98. Pac. 1115. Lys. 1100. Ran. 1500 in fine trimetri legitur, Thesm. v. 778 in initio versus insequentis positus est, Av. 435, 656 in medio trimetro sequenti invenitur, quid? quod Eq. v. 634. Av. 685. tertio demum abhinc versu collocatus est.

Transeamus ad interrogationem directam, quae decies apud Aristophanem sequitur voces ἄγε δή, atque ita quidem ut verbum interrogativum uno quoque loco excipiat hanc adhortationem. Horum exemplorum quae quatuor numero praesens tempus in interrogatione exhibent Eq. 482. Nub. 636. Pac. 922. Av. 809 ita se habent, ut qui interrogat responsum postulet ab interrogato, responsumque ipsum sequatur, praeter Eq. v. 482 ubi chorus, qua est impatientia, Agoracriti responso non expectato v. 485 ipse dicit quod respondentis fuisset, id quod probe intellexit Ribbeckius, vertens: „*Nun sprich was denkst du jetzt zu thun?*“

Sequantur Ran. v. 460. Thesm. 765. Plut. 56 quibus locis futurum sequitur, et Pluti quidem versu quo vultu et consilio loquatur Cario optime patet ex sequentibus (cf. Schol. a. h. l. et quae adn. Thiersch.). Ceterum hunc locum ex emendatione Bentleji jure editores restituerunt novissimi. Futurum vero ubi sequitur responsum neque postulatur neque expectatur, ut Thesm. 765 Mnesilochus se ipsum interrogat secum reputans de fuga pariter atque Dionysus facit Ran. v. 460. His locis optime subjunguntur quattuor illi numero, in quibus conjunctivus qui dicitur deliberativus (cf. Ran. v. 1) in interrogatione sequitur voces ἄγε δή Pac. v. 263. Av. 1574. Thesm. 652. Ran. 277. Ut enim in futuro sic etiam in his interrogationibus responsum non postulatur. Conjunctivum enim deliberativum cum futuro satis arcta propinquitate conjunctum esse neque mirum est, quum omnino conjunctivi indolem eandem in universum esse atque futuri sciamus (cf. Naegelsbach. ad Iliad. I. 32 n.), et eo demonstratur, quod pro conjunctivo illo non raro futurum ponitur (cf. Fritzsch. ad Ran. v. 310). Responsum vero non posci optime docet Ran. 263 neque rem aliter se habere reliquis locis docuit Fritzschius (ad Thesm. 652). Utroque enim loco et Dionysus et femina dubitant quid sit facien-

dum, neque vero interrogant, Clisthenes vero et Xanthias homines fortes, „*suadent quid optimum sit factu*“. Ceterum quum his exemplis omnibus legatur *τί δρῶμεν*; occasione data locos subjiciam, ex quibus de hujus vocis futuro et conjunctivo judicium ferri potest. Conjunctivus legitur in interrogatione Eq. v. 603, Nub. 427. 694. Pac. 223. 1142. Thesm. 70. 925. Ran. 130; futurum Ach. v. 466. Nub. 844. Pac. 1252. 1336. 1337. Thesm. 1128. Eccl. 358.

Formulam *ἄγε δή* statim sequatur *ἴθι δή*, in quae *δή* eodem modo augendae vi adhortationis inservit, quaeque formula teste Schol. ad Ran. 494, quem excerpsit Suidas v. *ἴθι* (Tom. I. p. 974 b. 13), *σημαίνει καὶ τὸ ἄγε*. Atque hac formula plane eodem modo utitur comicus, atque illa, quae est *ἄγε δή*, quamquam *ἴθι δή σν* nisi Eccl. v. 121 non legitur, neque invenitur formula, nisi cum imperativo conjuncta qui ubique eam excipit.

Loci sunt: Ran. v. 569. 891. 1180. 1284. Eq. 152. Pac. 405. 1238. Eccl. 148.

Propinquae his sunt locutionibus *φέρε δή* Ach. 1058. Nub. 1088. Pac. 361. 659. Thesm. 788. Ran. 120. 498, praeter Nub. 768 quo versu perperam hanc formulam praebet cod. Ven., et Thesm. 768 ubi male eam intulit Küsterus, (cf. Fritzschium a. h. l.); *εἰπὲ δή* Nub. 500. 652. 683. 746. 778. 1416; *λέγε δή* Ach. 103. Eq. 21. Nub. 90. Lys. 503; *λέξον δή* Nub. 340; *λαβὲ δή* Eq. 106 *εἶα δή* Thesm. 659. (cf. Reis. Synt. crit. ad calcem edit. Nub. p. 19). Praeter has formulas imperativum *δή* sequitur sensu aliquomodo conclusivo, ut accedat ad nostrum „*so denn*“, locis *φώνει δή* Ach. 777. *ἴτε δή* Ach. 1143. *ἄκουε δή* Ach. 733. Eq. 1014; *ἀκούετον δή* Plut. 76. (cf. Reis. Conj. I. p. 34); *φρόντιζε δή* Nub. 700; *ὑπότεινε δή* Pac. 458; *φράζεο δή* Pac. 1099; *ἔγχει δή* Pac. 1102; *ἡγοῦ δή* Av. 676; *ἀκροῶ δή* Lys. 503. (cf. *πειρῶ* Plat. Phaedr. p. 272 C.);

σιγᾶτε δή Lys. 769; πρότεινε δή Lys. 941; πρόφαινε δή Lys. 1295; ἔξαιρε δή Thesm. 981; ἔμβαινε δή Ran. 190; κατακέλευε δή Ran. 207; ἔχε δή Ran. 270. (cf. Ast. ad. Plat. Gorg. p. 460 A. Heindf. ad Plat. Protag. p. 349 D.); ἀποδύεσθε δή Ran. 641; ἔνχεσθε δή Ran. 885; περιθοῦ δή Eccl. 130; His locis omnibus, prout loquentium animus est commotus, δή nunc magis nunc minus effert imperativi vim, ita ut modo leniter adhortantis sit, ut e. g. Eccl. 130, modo iratum animum declaret ut Ran. 190, (cf. Naegelsb. in exc. I. ad calcem adn. ad Il. p. 434). Ceterum cum Schaefero (Appart. crit. ad Demosthenem III. p. 185) consentire non possum, qui nihil interesse inter praesentis et aoristi imperativum in his formulis dicit, contra Schömanno assentior, qui (ad Isaeum p. 235) quamquam tenuissimum, tamen certum discrimen interesse statuit, ita ut non pro lubitu, sed pro affectu loquentium possit oratio variari. Conjunctivus imperativi primae personae loco cum particula δή conjunctus legitur Pac. 973. Thesm. 802. Lys. 312. 358.

Imperativis voce δή auctis optime subjunguntur loci, quibus δή particula substantivis, adjectivis, adverbiis, denique verbis, ita adnectitur, ut uni verbo addita ejus vim urgeat, qua in re semper tenendum est, particulam non tam ad unum illud verbum quam ad totum enuntiatum pertinere. Quum enim post verbum illud particulam δή ponere soleant Graeci, quod vi sua excellit in enuntiato, proprie quidem δή hujus verbi vim auget, sed ita, ut per illud verbum simul vim suam exerceat in totum enuntiatum. Substantivi praecedentis vim urguet particula Ach. 695, ubi prius δή pertinet ad adjectivum πολλά, alterum autem ad ἱδρῶτα, simul toti enuntiato significationem addens, rem notam et manifestam esse, qua de re causa non erat, quod de hoc altero δή suspicionem moveret Fritzschius (Jahn. Annal. 1829 p. 11). Eadem est ratio Eq. v. 1387. Nub. v. 62 ubi δή vox

ironicum quendam colorem cum toto enuntiato communicat, qui sensus ironicus optime elucet ex. Lys. v. 571 ubi voces *ἐξ ἐρίων δή* fere ad ironicas nostratium voces accedunt: „*aus Wollarbeit also*“. Thesm. v. 1228 *ὥρα δή 'στι* ab Hermanno restitutum, ut videtur recte. Eq. 408 quod olim legebatur *παιῶνα δὴ καὶ* etc. ex. Rav. nunc recte editum est *παιωνίσαι καὶ*. Eodem sensu, aliquid manifestum esse et apparere etiam verbis additur particula *δή*, in enuntiatis et affirmativis et interrogativis. Sic si Av. v. 1373 Cinesias, Anacrontis quidem verba (cf. frgm. 24) usurpans, dicit:

ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον κτἑ.

δή vocula in exclamatione posita, rem unicuique conspicuam esse declarat, per prolepsin quidem quandam rem futuram pro praesenti accipiens, quum Peithetaerum adeat alas petiturus, neque vero habens, atque eodem modo res se habet Lys. v. 1108, ubi quum voci *δεῖ* addatur particula *δή* — quae voces in libris mss. interdum confusae leguntur (cf. Elmsley ad Eur. Bacch. 224) — sensus est, rem omni ex parte necessariam, eamque necessitatem manifestam esse (cf. Naegelsb. Exc. ad Il. p. 434). In enunciato interrogativo participium voce *δή* auctum legimus Eq. v. 1224 ubi quum legatur

ὦ μιαρὲ κλέπτων δή με ταῦτ' ἐξηπάτας;

quid sibi velit particula *δή* optime perspicis, si eam non legi fingis. Tunc enim sensus loci esset mere interrogativus. Jam vero, addita voce *δή* interrogatio in speciem quandam transit exclamationis, et rem non tam quaeri, quam summa cum admiratione edici intelliges, si vertis: *Stehlend also* (ut in aprico est) *hast du mich getäuscht*. De Av. 416 infra dicetur. Adjectivorum vis raro apud Aristophanem vocula *δή* augetur, neque puto praeter formas quasdam vocis quae est *πολύς*, cujus exempla infra, locos inveniri. Legitur quidem *ὁμοίαν δή* Thesm. v. 909, versus vero non est Ari-

stophanis, sed Euripidis, quem ad verbum transscripsit comicus ex Helena (v. 563). Inservit illo loco, ut rei causa hoc addam, particula *δή* augendae vi adjectivi, id quod nostrates efficere solent voce „*gar*“, quam versionem particulae *δή* omnino accipere possumus eis locis, quibus adjectivis et adverbiis additur.

Certis numeris, ut fit apud alios scriptores (cf. Klotz. ad Devar. II. 398) in Aristophanis comoediis *δή* non addita legitur particula, contra pluribus locis indefinitam vocem *πολύς* effert, ut Ach. 695. Eq. 411, Vesp. 980. 1284. Av. 860. Plut. 253 ejusque vocis superlativum Ran. v. 1254. (cf. Stallb. ad Pl. Phaed. p. 108 D. Heindf. ad Xen. Oecon. I. 23, et eodem modo *πολὺς ἤδη* Heindf. ad Theaet. p. 151 C.). Adverbiis saepissime particula *δή* additur et pronominibus, atque primum, ut ad id transeam, saepius legitur post relativa et demonstrativa (cf. Krügeri Sprachlehre I. 25. 9. 2.). Cum pronomine relativo duplici modo particulam *δή* conjungit Aristophanes, atque primum quidem ita, ut relativi vis in omnes partes extendatur, cujus usus unicum est exemplum Vesp. 235.

πάρεσθ' ὅ δὴ λοιπόν γ' ἔτ' ἐστὶν κτἑ.

h. e. *advenito quodcumque superest*, ita enim versus cum Rav. et B. codd. rectissime legitur, (cf. Reis. Conjectt. I. p. 231). Deinde alia est ratio locorum Pac. 802. Lys. 1301. Thesm. 1150. Ran. 679. His enim locis *δή* in enuntiato relativo ita positum est, ut significet nemini non notum esse quod dicitur (cf. Hartung. l. c. I. 274. Bäumlein. Part. p. 106. Rost: de part. *οὖν* p. 2 n. 2. Goth. Prgr. 1859), atque etiam hos in locos quadrare eam quam statuimus particulae significationem, ut manisfestum aliquid esse edicat, docuit Hellerus Philol. VIII. 305. Pacis enim versu 802 si legimus

οὗ δὴ

πικροτάτην ὅπα γηρύσαντος ἥκουσ' κτλ.

per relativum voce *δή* auctum indicat auctor, acerbam illam vocem Melanthii omnibus innotuisse, ita ut nos vertere possimus: „*der ja mit herber Stimme mir zuschreit.*“ Eodem modo Lys. 1302 *τοί δή* significat, unumquemque scire, fratres Helenae in ripis Eurotae saltare, quum Ran. v. 679 *ἐφ' οἵ δή* indicet, omnibus qui Cleophontem noverunt, bene notum esse, hunc demagogum, ex Thracia gente ortum, attice loqui non potuisse.

Relativum *ὅστις* (de quo cf. Krügerum I. 51. 15. 1) cum particula *δή* non legitur apud Aristophanem, contra Ach. v. 1 legitur *ὅσα δή* ad quem locum recte schol: *ὁ δὲ δή συμπαραπληρωματικὸς ἀύξησιν δηλοῖ*, Thucydidis locum simul ille afferens (I. 1), quo cum loco conjungendus est Ach. v. 758 (cf. Hartung, l. c. p. 274) ubi Megarensis interrogatus:

τί δ'ἄλλο πράτιεθ' οἱ Μεγαρεῖς νῦν;

respondet *οἷα δή*, quem scripturam corruptam esse censet Elmslejus, ipse nescius, quid sit restituendum, addens *οἷα δή* fortasse *θαυμαστικῶς* accipiendum esse. A. Muellerus explicare studuit per Gallorum là là, supplens *πράττομεν*, mihi potius ad analogiam videtur conformatum esse dictionis *ὅστις δή* Ut enim *ὅστις δή* est „*welcher eben*“, sic *οἷα δή* est „*was eben*“, sensusque loci patet esse, vivimus ut pro nostra conditione qualis est, vivere possumus, atque nugari videtur scholiasta, explicans *οἷα δή ἀντὶ τοῦ τοιαῦτα δή*. Hac vero locutione multo est usitatior dictio *ὅτε δή* (Bäuml. p. 106 Hartung. I. 257. Hoogeveenii Doctr. part. p. 143) in qua *δή* particula relativi quod est *ὅτε* vim ita corroborat, ut exprimat manifesto et sine dubio illud tempus significari, quod per particulam temporalem indicatur, certo limite simul tempus illud terminans, cujus rei luculenta sunt exempla Ach. 10. 16. Prorsus eodem modo Ach. 535. *ὅτε δή* accu-

ratius tempus illud definit, quo post psephisma illud editum de Megarensibus, Spartam se contulerunt, ut conquererentur, quamvis hoc fortasse loco aliquis dicere possit, *ὅτε δή* esse *αἰτιολογικῶς* dictum, significans Latinorum *quandoquidem*, ad quam significationem etiam accedit Eccl. 315. Porro egregius locus quo ostendatur quid sit *ὅτε δή* exstat Lys. 523 quo loco, quum *δέ* illa vocula conjunctio efficiatur cum antecedentibus, *ὅτε δή* quid sibi velit optime patet ex verbis *μετὰ ταῦθ' εὐθύς*, quae tamen nescio num in *μετὰ τοῦτ'* mutanda sint (cf. Ran. v. 143. Scheibe Vind. Lys. p. 30. p. 115) quum Lysistrata ad rem unam eandemque certam respiciat, scilicet ad verba illa virorum v. 524, plane eodem modo ut Ranarum illo versu 143 *μετὰ τοῦτ'* recte restitutum est pro eo quod olim legebatur *μετὰ ταῦθ'*, duce cod. Ven. qui in talibus recta tueri solet, quum de uno Herculis in orcum illo itinere ad Cerberum adducendum facto sermo sit.

Atque huic loco statim addere possumus ceteros, qui exhibent *ὅτε δὴ δέ*, quam particularum conjunctionem jure rariorem nuncupat Reisigius (Conjectt. I. 228). Invenitur enim Lys. v. 523. Eccl. 195. 315. 827. quibus locis ea infert, quae luculenter opposita sunt illis, quae in antecedentibus leguntur. Lysistratae enim illo versu post interrogationem illam cogitando addendum ex antecedentibus: „*recte quidem bellum viris cordi esto, modo viri essetis. Quum vero etc.*“ Praeter hos locos *ὅτε δή* legitur Eq. 632. 658. Ran. 789. 1090. 1189 qui locus ultimus inter omnes notandus est propter anacoluthiam apud comicum alias vix et ne vix quidem usitatam. Dicere enim in animo habet: „*Primum quidem, quum infans exponebatur, num felix erat?*“ repente autem, neglectis vocibus *ὅτε δή* constructione mutata pergit in narrando ac si incepisset: „*primum quidem infans exponebatur*“. Ceterum in *ὅτε δή* eodem modo ut in pronomine

relativo particula *δή* aucto inesse notionem rei omnibus notae monuit Krügerus ad Thucyd II. 102. 4.

Restant Pac. 1273 quem praeterii non quod usu differt, sed quia ex Homeri Iliade desumptus est (cf. Il. XXI. 448), et Ran. 771, ubi parum recte vulgatum *ὅτε δή* a Fritzschio in *ὅτε δ'οὖν*, a Meinekio in *ὅτε δέ* cum codd. Cant. I. et Harlej. mutatum inveni. Negari illud quidem non potest, *ὅτε δέ* optime posse ferri, quum notissimus sit usus per *δέ* orationem continuandi „*etiamsi ea alterius dictis interpellata fuerit*" (cf. Herm. ad Viger. p. 843). Adde quod omnino *δή* et *δέ* particulae saepe commutantur (cf. Jacobs ad Achill. Tat. p. 738. Schömann. ad. Isaeum p. 324). Sed inde non efficitur, hoc loco vulgatam ferri non posse, quum optime fingere possis post v. 770 Aeacum tacuisse, Xanthiae vero interrogatione admonitum ita perrexisse, ut verbis *ὅτε δή* denuo quasi inciperet. Quae quum ita sint Kockium lectionem vulgatam revocasse gavisus sum. Atque quod apud Homerum saepius legitur *ὅτε δή*, id apud Aristophanem frustra quaeras. Leguntur enim voces *τότε δή* certis locis apud comicum, quorum vero locorum unus tantum usum exhibet Atticorum, reliqui per parodiam usum homericum monstrant, quum ex oraculis desumpti sint. Loci sunt Av. 985. Eq. 199, in quibus nisi jam metrum parodiam indicaret certe male nos haberet apud Atticum *δή* in membri initio. Hunc enim usum homericum esse jam inter veteres constabat, ut patet ex Eustathii verbis ad Iliad *έ*. v. 136: *πολλαχοῦ γὰρ κατὰ γλῶσσαν ὁ ποιητὴς τὸ δή τίθησιν ἐν καταρχῇ ἐννοιῶν, ὅ τοῖς πεζολογοῦσιν ἀσύνηθές ἐστιν*, quem grammaticum sequutus est Vigerus p. 495 ubi adnotat Hermannus, *δή* ne in versibus quidem apud Atticos praemitti, id quod neminem mirum poterit habere, quum ex eodem illo Eustathio compertum habeamus, eam de qua agimus locutionem ionicam, et Mileti quidem usitatam fuisse. Dicit

enim ille ad Il. μ. v. 17 τὸ δὲ δὴ τότε Μιλησίων ἐστὶν ἀναστροφὴ κατὰ τοὺς παλαιούς, τὸ δὲ κοινὸν τότε δή. Ceterum utroque loco apud Aristophanem τότε δή apodosin infert, cujus protasis secundum usum homericum verbis αὐτὰρ ἐπὴν et ἀλλ' ὁπόταν inducitur. Attice locutus est poëta Ran. v. 816, quo loco δή quum demonstrativae particulae τότε efferendae inserviat, more attico sequitur vocem, ad quam pertinet.

Omnibus autem locis quos attuli ea vocula significatur actionem eo tempore ad certum quendam finem progressam esse, quo qui sit futurus exitus manifesto appareat, aut inde a quo in rerum veritate existere incipiat. Ceterum recte fecerunt, qui Ran. v. 767 contra codd. Barocc. et Cantabr. I., qui praebent τότε δή ediderunt τότε δὲ. Hoc enim loco et postulatur oppositio neque quidquam refert, utrum magna cum vi dicatur poëtam minoris pretii sellam „*eo ipso temporis puncto*" relinquere debere, necne; sufficit dixisse eum omnino cedere debere majori.

Simili autem modo atque particula temporalis demonstrativa τότε etiam aliae voces demonstrativae, quum pronomina tum adverbia, sequente particula δή leguntur ita, ut eorum vim augeat, addens significationem rei manifestae. Atque in his imprimis notanda est formula ταῦτα δή quae apud comicum bis legitur Ach. 815. Vesp. 851, quamque, si quid video, recte explicuit Elmsleius ad Ach. 815 his verbis „*subauditur* δράσω," quo simul intelligitur quo usque a vero aberraverit Berglerus, qui verba esse mirantis censet (ap. Inv. vol VII. p. 215). Eodem sensu usurpari ταυτὶ νυν Vesp. 1008 et ταῦτα nude positum Eq. 111. Vesp. 142. Pac. 275. Elmsleius l. d. notavit. (Heindf. ad Plat. Phaed. p. 78 B. John Seager in Classical Journal Nr. IV. p. 717 sqq.).

Praeter hos locos notabilis est Ach. 311 sq. quia hoc

loco particulae δή — ἤδη uno enuntiato comprehensae leguntur (cf. Herm. ad Viger. 826) id quod apud Aristophanem hoc tantum loco legitur, et Lys. 523, qui simul locus ostendit recte rem perspexisse Muellerum, qui dicit δή cum ταῦτα, ἤδη cum ἐμφανῶς conjungendum esse, aeque atque illo loco δή ut vidimus, vel arctissime cohaeret cum voce ὅτε, ἤδη vero ad imperfectum ἠκούομεν pertinet. Inverso ordine ἤδη δή non legi Reisigius animadvertit (Conjectt. I. p. 232). Plut. 227 τοῦτο δή falso legebatur ante Elmsleium, qui τουτοδί restituit (cf. Quarterly Review XIV. p. 449).

Porro διὰ ταῦτα adverbialiter dictum particula δή corroboratur Nub. 856 ubi patet voculae significationem esse „*manifesto sine dubio*", eademque adverbiis addita legitur Ran. 796. κἀνταῦθα δή ubi καὶ nexui inservit; ib. 826 ἔνθεν δή quo loco perperam δέ cum Mutinensi Fritzschius; πολὺ δή Av. 451. 539; πάλαι δή Av. 921, ubi δή legitur in anaphora ut Aeschyl. Agam. 468 reposuit Rauchensteinius; Lys. 1102 κακῶς δή; Ran. 1056 πάνυ δή; Eccl. 733 κάτω δή; Vesp. 1265 πολλάκις δή; Pac. v. 901 ἵνα δή (cf. Kidd. ad Daw. Miscell. p. 120. Hanov. exercitt. critt. p. 134. Krüger. I. §. 69. Ellendt. Lex. Soph. v. ἵνα); Nub. v. 259 εἶτα δή in interrogatione, quod dicendi genus Nub. v. 750 recte delevit Hermannus εἶτα δέ scribens; Pluti v. 942 αὖτίκα δή.

Neque hic praetereundi sunt loci, ubi pronomen determinativum, quod dicitur, αὐτός particula δή augetur, quales sunt Pac. 508. Lys. 888 ubi rectum vidisse Bentlejus mihi videtur, quem etiam Vesp. v. 1062 genuinam scripturam restituisse καὶ κατ' αὐτὸ δὴ μόνον testes sunto loci supra allati. Eodem modo δή cum pronomine personali conjungitur, et apud Aristophanem quidem primae secundaeque personae cujus vim ita auget ut aut sui ipsius fiduciam, quam quis

habet, ostendat, ut Lys. 684. Thesm. 1209. Ran. 1476 aut contemptum exprimat, ut Ran. 841, ubi cogita *λέγεις*, aut denique secundam personam *δεικτικῶς* efferat ut Vesp, 1412 (cf. Heller. Philol. VIII. 297), Lys. 146 quo loco *σύ* magna cum vi efferendum erat, quum ex verbis finitimis *ὅ μὴ γένοιτο* appareat e Callonices sententia Lysistratam non dixisse. Similiter *δεικτικῶς* additum pronomini possessivo *δή* legitur Pac. v. 603 quo loco quod Diodorus (XII. 40. 6 ed. Dindf.) memoriae, ut videtur errore habet *τἀμά τις*, jam a Wesselingio ad Diod. Tom. I. p. 504 correctum est. Quod apud Sophoclem exstat *σὲ δή* apud Aristophanem non legitur contra *σέ τοι* Plut. v. 1099 exhibet. Praeter hos locos Ach. 1102 ante Elmsleium legebatur *κἀμοὶ σὺ δὴ παῖ θρῖον*, ubi nunc ex ejus conjectura rectius *κἀμοὶ σὺ δημοῦ θρῖον*. Contra Ran. 888 melius legi *σὺ δή* infra dicetur.

In interrogationibus obliquis apud Aristophanem *δή* non legitur contra in rectis satis usitatum est, ut etiam apud alios scriptores (cf. Hoogev. Doctr. part. p. 146. Klotz. ad Dev. II. 398. sqq.). Atque hic usus quum a propria quam statuimus particulae notione satis abhorrere videatur, quomodo cum ea possit conciliari docet Bäumlein. p. 103. In universum tenendum est speciem, quam prae se fert totum enuntiatum etiam vim suam exercere in particulam *δή*, indeque patebit quomodo pro interrogationis genere modo mirantis modo aegre ferentis esse possit. Saepe invenitur particula post voculam interrogativam *πῶς* cujus rei exempla sunt: Eq. v. 1073. Nub. 664. 673. 1442. Vesp. 21. Lys. 574. Ran. 1162. Huc etiam velim trahas Lys. v. 49, quum *τίνα τρόπον* teste schol. ad Plut. 136 idem sit atque *πῶς ἄρα*. De lectione dubia Eq. 155 cf. Meinekii Vind. Aristoph. lib. p. 53. Porro *τί δή* invenitur Ach. 826 (cf. Elmsl. et Vesp. 251) Av. 25, Lys. 987. (cf. Hoogev. Part. p. 148). Thesm. 700 (cf. Reis. Conjectt. I. 291). Ran. 1162, de quo versu

vide infra, Eccl. 858, quo uno loco legitur nudum *τί δή*; sensu fere vernaculi „*wie so denn?*“ *ποῦ δή*; Vesp. 665; *τιὴ τί δή* Vesp. 1155. Pac. 1018. Thesm. 84 in fine trimetri, ubi etiam locum habet *ὁτιὴ τί δή*, quod quum legatur Nub. 755 (ubi cf. Herm.) mirum quantum vexavit homines criticos Plut. v. 136 (cf. Inv. Tom. III. p. 76). Deinde addita coniunctione legitur *ἵνα δή τί* Nub. 1192. Eccl. 791; praepositione *κατὰ δή τί* Eccl. 604, quibus locis velim attendas *δή* particulam mediam intercedere inter praepositionem et casum, quae res me moveret, ut Plut. 1111, ubi legitur *ἀτὰρ διὰ τί δὴ ταῦτ' κτἑ.* legendum esse censerem *διὰ δὴ τί* nisi me prohiberet Sophoclis Trach. 402. Amant enim scriptores Graeci, si quando *δή* particula voci cum praepositione additur, veluti in *ἐκ δὴ τούτων* Plat. Phileb. p. 48 D; *διὰ δὴ τί* ib. p. 50 E; *ὑπὸ δή τινος* ib. p. 50 E; et quae sunt similia (cf. Ast. Lex. Plat. I. 448.), particulam mediam interponere, quod Klotzius (ad Devar. II. 432) ita explicat, ut in talibus perinde esse dicat quam ad vocem ponatur *δή*, quia praepositio ejusque casus tam arcte cohaereant, ut fere unam efficiant vocem. Adde quod *διὰ τί δή* etiam legebatur Nub. 59, ubi quod Dawesius (Miscell. crit. 93) restituit *δῆτα* postea a Rav. firmatum est. De ratione critica Ran. 1162 cf. velim Meinekii Vind. Ar. p. 176. Suam postulat explicationem Av. v. 416:

τί φῄς; λέγουσι δὴ τίνας λόγους;

ubi *δή* in interrogatione praecedit verbum interrogativum, id quod, testibus grammaticis (Krüger. 69. 15. 2), fieri nequit nisi antecedente praepositione, articulo, aliis particulis veluti *δέ* (Hoogev. 148) *ἀλλὰ* (Plat. Euthyphr. p. 2 D.), aut si quando imperativus praecedit, quocum particula tam arcte conjungitur, ut ad interrogationem non pertineat, veluti in Oed. Reg. 654. Haec omnia quum in hunc locum non quadrarent equidem putavi insolitam dictionem explicandam

esse per anacoluthon quoddam, ita, ut aves, vehementer iratae, quum dicere vellent:

τί φῄς; λέγουσι δὴ δεινοὺς λόγους.

vel tale quid, repente constructione mutata, quum ipsae animo capere non possent homines cum ipsis velle vitam degere, interrogarent *τίνας λόγους*; ita ut sit fere: *manifesto dicunt quid?* quae dictio possit comparari cum locutione *ὁτιὴ τί δή*; quae est „*quia-quid?*“ Hoc anacoluthon optime quadrat ad totius loci indolem. Ratio loci insolita fortasse causa fuit Hermanno, ut — nisi fallor usum platonicum secutus, quem exposuit Heindf. ad Phaed. p. 107 D. — *δή τινας* scriberet, quod ex schedis ejus ineditis Meinekius edidit, qua correctura probata enuntiati vis caderet in vocem *λέγουσι* particula *δή* corroboratam. Sed huic conjecturae et Rav. obstat, et versus upupae qui sequuntur, e quibus appareret aves de natura verborum quaesivisse, quae et ipsae audiverunt quidem, neque vero intellexerunt. Ceterum usus ille quem Platonis esse dixi, etiam uno loco apud Aristophanem legitur Av. 652, quo versu duce optime intelligimus vim vocis inclinatae *τίς* praecedente particula *δή*.

Atque haec hactenus!

Jam videamus de particula *δή* cum aliis particulis conjuncta, atque primum de ea, quae frequentissima est conjunctione, quae est *καὶ δή* (cf. Bäuml. Part. p. 102. Hartung. Part. I. 253. Klotz ad Devar II. 646. Hoogev. Part. p. 298). Hac in particularum conjunctione utraque suam retinet significationem, neque ut dicit Hoogeveenius illa fit *συμπλεκτικὴ* haec *χρονικὴ* ut significent „*et jam*“, sed proprie *καί* conjunctioni inservit, *δή* autem ut statuimus est *manifesto, sine dubio*, atque ex hac significatione quomodo potuerit illa oriri, quam postea fere omnes propriam dixerunt „*et jam*“ (cf. Herm. ad Viger. p. 827) facile intelligitur ex locis quales sunt Ran. 1205. Lys. 925:

ἰδοὺ ψίαθος κατάκεισο, καὶ δὴ 'κδύομαι

quo loco, quum significent verba *καὶ δὴ 'κδύομαι* et „*manifesto*" *he. ut vides vestem depono*, hoc tam perspicue indicat rem absque mora fieri, ut mirari non possis, jam veteres *καὶ δή* particulas per *ἤδη* explicasse. Sive vero hunc locutionem explicandi sive Helleri modum (Philol. VIII. 308) praeoptas, videbis *καὶ δή* videri tantum cum *ἤδη* congruere. Ut jam dixi *καὶ δή* apud comicum satis multis locis exstat — qua in re differre Aristophanem a philosophis docebunt Astius (Lex. Plat. I. p. 44) et Eucken (de Aristotelis dicendi ratione p. 44), parem esse Sophocli testatur Ellendtius (Lex. Soph. I. 884) — contra *καὶ — δή* tribus tantum locis legitur Vesp. 1307 (cf. Elmsl. ad Ach. 127 Klotz. ad Devar. II. 414) Ach. 988, ubi *καί* respondet antecedenti *τέ*, *δή* autem vocem *μεγάλα* interpositam auget, denique Ran. 888, ubi *καὶ σὺ δή* legendum est. Atque hic, ut ea statim praesumam quae rariora sunt, Vesp. 1209 subjungam, ubi usu re vera eleganti *καὶ δή* exprimit conditionem aliquam poni concessamve apud animum fingi. Anglice has voces: „*suppose me to be Kleon*" vertit Elmsl. ad Eur. Med. 380 praeter quem adeundi sunt Herm. ad Vig. p. 837 et quos affert Valken. ad Hdt. VII. 184. Markl. ad Eur. Suppl. p. 1296. Apud Aristophanem hic usus particularum *καὶ δή*, qui quidem non est difficilis explicatu ex *δή* particulae significatione, praeter hunc locum non exstat, eundemque Sophocli ignotum esse dicit Ellendtius (Lex. Soph. I. 884). Falso vero eos judicare, qui haec enuntiata esse interrogativa statuerent H. Sauppius docuit ad Demosth. III. 18.

Multo saepius *καὶ δή* particulae in responsionibus leguntur, ubi proprium earum esse locum jure dicit Hellerus (Philol. III. p. 303). Novies nisi fallor apud Aristophanem inveniuntur. Non habentur in Lysistrata, Acharnensibus, Equitibus, Vespis, habentur in reliquis comoediis post impe-

rativum et interrogationes, quippe in quibus semper insit imperativus, quum qui interrogat responsum sibi dari jubeat, atque his locis, modo ea teneas, quae de vocis significatione dicta sunt δή reddas voce „*jam*“. Loci sunt: Nub. 778. 1097. Pac. 327. Av. 175. Thesm. 214. 1092. Ran. 647. Eccl. 1014. Plut. v. 227, quibus statim duos locos addam, quum persimiles sint, Thesm. v. 769 ubi sibi ipse respondet Mnesilochus, et Eccl. v. 514 (cf. Inv. VI. 717) κεῖται καὶ δὴ πάνθ' ἅπερ εἶπας, quibus verbis Praxagorae respondet chorus, jam factum esse, id quod v. 507 imperaverat ipsa. Eadem significatione καὶ δή usurpatur in formula τουτί καὶ δὴ χωρεῖ τὸ κακόν, quae legitur Nub. 905. Vesp. 1483. Ran. 1018 quem versum Dionyso dandum esse mihi persuasit E. de Leutsch. Formulam explicuerunt Herm. ad Nub. 905. Inv. IV. p. 312. Kock et Teuffel ad Nub. 906. Ad simplex δή particulae καὶ δή accedunt apud futurum Lys. v. 601 ubi καὶ δὴ μάξω fere idem est atque μάξω δή, quod quo sensu dictum foret Nub. 1209 docet φήσουσι δή μ'οἱ φίλοι h. e. *sine dubio dicent amici*, qua de re cf. Firnhab. ad Eur. Jph. Aul. 747. Sed nota si quando δή post futurum ponitur, exprimi rem revera futuram esse, Lysistratae autem isto loco καὶ δή per ludibrium dictum esse eodem fere modo, quo nostrates voce utuntur *schon* in talibus:

Das Honiggebäck werd' ich dir schon backen.

Agmen claudant exempla, in quibus καὶ δή per *jam* reddere possumus, quorum duo tantum exstant in quibus καὶ simul nexui cum antecedentibus inservit. Pac. 178. Av. 1251, ubi olim lectitatum καὶ δήποτε, quod, si esset Aristophaneum, esset „*atque adeo*“ (cf. Toup. ad Longin. p. 162) in καὶ δή ποτε recte mutavit Brunck. quod est „*et jam aliquando*“; in reliquis omnibus καὶ δή idem esse quod ἤδη salva interpretatione nostra Hesychio concedere possumus, quum aliae particulae nexui inserviant, καὶ δή autem

nihil significent nisi rem jam ordine processuram esse aut procedere. Exempla sunto: Vesp. 492. 1484, ubi quum *καὶ δὴ γάρ* eodem modo neque vero eodem sensu quo Vesp. 1224 dicatur, *γάρ* conjungit, ita ut particularum notio sit „*etenim jam*“ (cf. Klotz. ad Devar. II. 644) qui idem sensus subest versui Pac. 942, ubi *γάρ* nexui inservire patet, quamvis insolita sit in hoc versu particularum positio in fine tetrametri; Av. 268. 550 ubi *τοίνυν* adnectit; Lys. 65. 77. 909. Thesm. 266. Ran. 604. Eccl. 500. 582. Falso mihi *καὶ δή σν* legi videtur Ran. 888 ubi jam Fritzschius *καὶ σὺ δή* proposuit, quem secutus est Kockius. Praeter enim ea quae attulit Fritzschius, *καὶ δή* hoc loco male habet quum Euripides Aeschylo opponi debeat, id quod fit si legimus *σὺ δή*. Praeterea quod Dobraeum secuti Vesp. 1324 *ὅδὶ δὲ καὶ δή* ediderunt usque ad Meinekium, nunc cum hoc melius legi *ὁδὶ δὲ κἀντός* mihi persuasit Vesp. 1360.

Loci ubi *δὴ καί* leguntur huc non pertinent quum hae voculae, quando juxta ponuntur conjungendae non sint. Suo igitur loco quemque tractavimus. Denique velim animadvertas quae particulis *καὶ δή* respondent particulas negativas *οὐδὲ δή* et *μηδὲ δή* apud Aristophanem non legi, eodem modo quo etiam apud Sophoclem non inveniuntur (cf. Hartung. Part. I. 265. Ellendt. Lex. Soph. I. 113 et 424).

De particulis *δὲ δή* (cf. Hoogeveen. Part. p. 138. Klotz. ad Dev. II. p. 382. Hartung. Part. I. 266) pauca addenda sunt. Harum enim particularum et usum illum, quo transitum ad novam rem indicant, id quod *λόγου ἔκλειψιν καὶ ἀρχὴν ἑτέρου* nuncupat Apollonius de conj. p. 519, et varios alios, de quibus v. Klotz. ad Devar. II. 382 plane sprevit comicus, neque eis usus est, nisi in interrogatione directa, et eo quidem sensu, ut *δή* oppositionem augeat, quae per particulam *δέ* infertur, aliquid manifestum esse eodem

modo significans, atque post particulas interrogativas. De positione particularum notandum est eas nisi in trimetro non inveniri, ibique semper secundum eis formari jambum, uno excepto Eccl. v. 542, ubi tamen res specie quidem, non revera secus se habet, quum personarum mutatione novum quasi quoddam initium fiat. Necessaria quasi quadam attractione semper conjunctae, leguntur inter articulum et substantivum Eccl. 542, inter substantivum et pronomen interrogativum Av. v. 112; inter verbum et pronomen Nub. 1178. Lys. 599. Ran. 805. 865. Plut. 264; quorum locorum ad analogiam Nub. v. 1186 contra metrum Venet. praebet *νοεῖ δὲ δὴ τί*; denique inter pronomen et vocem interrogativam Vesp. 858. Pac. 227. Av. 67. 155. Thesm. 608. Ran. 158. Quod legebatur Nub. 681 *δὴ δέ* (Reis. Conj. I. p. 230) secundum Rav. et Ven. vestigia nunc editur *δέ γε* a Meinekio, *δή γε* contra usum Aristophanicum a Bergkio.

Γὰρ δή particulae septies leguntur apud Aristophanem, et quidem ita, ut *γάρ* causam inferat *δή* autem illius causae vim urgeat, qua in re modo propria voculae significatio, qua rem manifestam designat, magis elucet, ut Lys. v. 557 ubi verba *νῦν μὲν γὰρ δὴ καί*, si ad verbum ea reddere licet, sunt: *nunc quidem enim manifesto etiam;* modo minus effertur, ita ut etiam addi possit verbum i dem significans, ut Nub. 397.

τοῦτον γὰρ δή φανερῶς ὁ Ζεῦς ἴησ' ἐπὶ τοὺς ἐπιόρκους

ubi *δή* levissimum tantum notionis suae colorem prae se fert. Reliqui loci sunt: Eq. 517 596. Nub. 402 (ubi de particula *γέ* v. Pors. ad Eur. Phön. 1366). Pac. 1189. Eccl. 157. Dicendi rationem Sophoclis in his particulis cum usu Aristophanico prorsus consentire exempla docent apud Ellendtium (Lex. Soph. I. 341).

Prorsus eodem modo ut in *γὰρ δή* etiam in *μὲν δή* particularum conjunctione utraque particula propriam retinet significationem. Usus eis est comicus duplici modo, atque primum quidem ita, ut aliquam rem, de qua eo usque sermo erat, mittat, et per particulam *δέ* ad novam quandam transeat. Hujus usus unicum est exemplum formula *καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα* Plut. v. 8, quem locum bene intellexit scholiasta, qui adnotat *ἔστι δὲ τὸ σχῆμα ἀποθετικὸν τῆς πρώτης διανοίας*, verba ipsa explicans verbis *καὶ ταῦτα μὲν δὴ τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον*. Formulam eodem modo explicuit Fischerus ad Pluti illum locum, qui satis apte eam vertit per Latinorum *et haec quidem hactenus*, quamquam in his verbis non ea inest notio quam continet formula graeca, scilicet vera esse quae dicta sunt, quam inesse testatur Schol. ad Aeschyl. Prom. 496 dicens *ταῦτα μὲν, φησὶν, ὅσα εἶπον, οὕτως ἔχουσιν*.

Huic dicendi rationi persimilis est altera, qua poëta, si quando rei minoris momenti adjungit graviorem, in protasi rem leviorem per particulas *μὲν δή* quasi missam facit, rem majorem vero per particulam *δέ* sequi jubet. Hujus usus duo leguntur exempla, Ach. 528, Plut. v. 728 quo loco verbis *πρῶτα μὲν δή* respondet simplex *ἔπειτα*, de qua re jam accuratius vidimus. His locis etiam *μὲν οὖν* poni posse monuit Krügerus §. 69. 35. 3. Particulis *καὶ μήν* addita est vocula *δή* Thesm. 805 quo loco gradatio quaedam a Charmino ad Cleophontem efficitur particulis *καὶ μήν* voce *δή* corroboratis, quamquam in eodem enuntiato sequitur *δήπου* (de quo v. infr.) Alterum *καί* nomen Cleophontis effert atque significat „*etiam*“.

Porro ut *τότε δή* etiam *νῦν δή* apud comicum ita legitur, (cf. Stallb. ad Plat. Phileb. p. 105 Bremi ad Aesch. de fals. leg. p. 230) ut particula *δή* temporis istud punctum, quod significat *νῦν*, magis efferatur (cf. Bäuml. Part. p. 102).

Latine fere esset „*nunc jam*“ qua in re tenendum in voce *νῦν* semper inesse durandi aliquam notionem, qua differt ab *ἤδη* quae vox ipsum temporis punctum quod praesens est significat. Unam particularum significationem tangit Schol. ad Lys. 327 explicans *ἀρτίως*; consentiens cum Schol. ad Pac. 5 qui dicit *νῦν δή. οὕτως Ἀττικοὶ ἀντὶ τοῦ ἀρτίως.* Significationem enim vocis *ἀρτίως*, quae est germanice „*so eben*“ *νῦν δή* voces ostendunt, quando cum tempore praeterito conjunguntur, ut Pac. 5. Ran. 410. Av. 923. Thesm. 934, contra est „*nunmehr*“ ubi cum praesenti tempore aut cum infinitivo copulantur ut Ach. 461. Eq. 756 (v. Saupp. ad Plat. Protag. 388 A.). Eccl. 571 qua in re notandum, voces *νῦν δή* si quid nunc fit quod jam diu factum esse opportebat, abire posse in significationem *nunc tandem*, veluti Lys. 327 *νῦν δή* — 334 *βοηθῶ*. (cf. Nägelsb. ad Il. II. 284). Ordine inverso utrum *δή νυν* legatur dubii sunt et veteres grammatici et recentiores (cf. Lobeck ad Soph. Aiac. 1332), neque ego is sum qui hanc quaestionem dijudicem, quum neque metrum neque libri auxilium ferant. Legitur in editis *δή νυν* Nub. v. 500, 746. ubi tamen *νῦν* praebent Rav. Ven. Thesm. 788 ubi eodem modo *νῦν* in libris. Omnibus his locis nuperrime Meinekius inclinatam particulam edidit, consentiens cum Ellendtio (Lex. Soph. II. 183). Praeterea verbo monendum est *ὡς δή* apud Aristophanem quater legi et ita quidem, ut *δή* particula rem in universum non dubiam et manifestam esse significet (cf. Naegelsb. ad Il. I. 110), quamquam unoquoque loco *δή* se applicat sensui particulae *ὡς*. Sic sensu finali dicitur *ὡς δή* Eq. 693; comparationi inservit Vesp. 1315 ubi cogitando supplendum est participium *ὤν*, quod etiam apud Sophoclem inveniri auctor est Ellendtius (Lex. Soph. II. 1001) et apud Euripidem legi demonstrat Elmsl. ad Eur. Bacch. 224 (cf. Stallb. ad Plat. Gorg. 468 E.). Sensus particularum in talibus est „*quasi*

vero", ex quo patet *δή*, ut ita dicam, ex illius sententia dictum esse, de quo sermo est, ut nostro loco *ὡς δὴ δέξιος* est „*seiner Meinung nach ein geistreicher Mensch.*" Hoc cum usu propinquitatis quodam vinculo conjuncti sunt loci, ubi *ὡς δή* in exclamationibus stuporem et admirationem exprimit, id quod uno loco apud Aristophanem fit Lys. v. 83. Quarto denique loco *ὡς δή* legitur cum optativo in exclamatione Plut. 891 Latinorum significans *utinam*, notionem optandi quae ut jam in solo optativo, ita in optativo cum voce *ὡς* conjuncto inest, (cf. Herm. ad Viger. p. 756), majore cum vi exprimens.

ἵνα δή et *ὅπως δή* (cf. Krüger ad Thuc. V. 85. 1) apud comicum non leguntur, neque has particulas invenias apud ceteros atticae comoediae poëtas, qui in adhibenda particula *δή* in universum cum Aristophane mirum quantum consentiunt.

Sequantur particulae singulis locis apud Aristophanem lectae *τὲ δή* et *γὲ δή* a reliquis comoediae fragmentis alienae. *τὲ δή* legitur Nub. v. 61 ubi *τέ* illud, ad sequens *καὶ* spectat *δή* autem vocula media interposita ad personas per *τὲ — καί*, junctas spectat, sensu fere vocis latinae „*scilicet*", quum explicationem aut potius epexegesin inferat vocis *νῷν* quae antecedit. Voce interposita *τὲ-δή*, leguntur Vesp. 1064 quem locum ob similitudinem huc traxi, quamvis *τέ* et *δέ* nullum fere nexum habeant, quum *τέ* sequentia cum antecedentibus copulet, *δή* autem comparativi vim ita augeat, ut sensum inferat unumquemque canescentes capillos posse videre. De particulis *γὲ δή* cf. Herm. ad Viger. p. 825. Krüger. ad Thuc. IV. 78, 2. VIII. 41, 2.

Apud Aristophanem leguntur Vesp. 857 quibus in verbis *γέ* particula restringit, *δή* autem rem manifestam esse indicat qui sensus manet, etiamsi alia particula interponitur, ut Ran. 1047 ubi Bacchus se cum Aeschylo consentire

declarat; nam hoc loco *γέ* restringit vocem *τοῦτο*, *τοὶ δή* autem rem manifestam esse affirmat.

Bis apud Aristophanem legitur *εἰ δή* hoc sensu „*si revera*" ut patet ex Ran. 241 ubi est *εἰ δή ποτε si revera aliquando.* Alter locus est Vesp. 86 quo loco quod fortasse expectes *δέ* posüit Reiskius scribens: *εἰ δέ γ' ἐπιθυμεῖτ' εἰδέναι.* Sed recte Porsonus *εἰ δή* restituit, quod optime locum habet, quum inter versum 86 et eum qui antecedit loquendi aliquam pausam faciat Xanthias.

Ex negationum tanto numero nisi *οὐ* nullam voce *δή* extollit Aristophanes (de sensu cf. Bäuml. p. 102), ita ut ne *μὴ δή* quidem (cf. Hartung. I. 286 Naegelsb. ad Il. I. 131) legatur. Ceterum loci ubi *οὐ δή* leguntur ad unum omnes incerti sunt, et quum in editionibus ante hos XX. annos editis fere quater legatur, nunc vereor ne praeter Thesm. 567 non legatur. Sic Ach. 122 nunc editur *οὐ δῆπου* (cf. Elmsl.); Eccl. 526 ex conjectura Theodori Hansing (in Phil. VII. 196) *οὐ δῆτα* pro *οὐ δή* ediderunt; Ran. 526 *οὐ δῆπου* legendum esse in particula illa *δῆπου* videbimus. Restat ut jam dixi Thesm. 567, in quo versu, quum quod Brunckius voluit *οὔποτε μὰ Δία* recte a Reisigio (Conjectt. I. p. 126) remotum sit, (cf. Fritzschii Quaest. Aristoph. I. 176), ex librorum scriptura *οὐδὲ μὰ Δία* a Dindorfio genuina scriptura *οὐ δή* enucleata est.

Accedamus ad particulam *δαί* quae ex veterum grammaticorum testimonio nihil aliud est nisi ipsa particula *δή* per diphthongum scripta (cf. Herm. ad Vig. p. 845. Hartung. I. 320). Ut autem particulae *δή* usus est admodum varius ita jam veteres recte praeceperunt grammatici, *δαί* parti-

culam ad interrogationem solam pertinere ut patet ex Ammonio p. 39: *δαί σύνδεσμος ἐρωτηματικός*, quibus nos addere possumus, particulam illam non legi, nisi post interrogativas voces *τί* et *πῶς*, unde vocis significatio in aprico est. Quum enim *τί* et *πῶς* voces saepe per se solae locum habeant in interrogatione mirantis aut aegre ferentis, veterum scriptorum monumenta docent, hos vel similes animi motus addita particula *δαί* augeri. Atque ita quum voculae significationem invenerimus, nunc ad ipsum comici poëtae usum transeamus, qua in re primum eos locos colligere juvabit, quibus *δαί* particula interrogationis vim urguet is, qui alterius cujusdam proposita ita admiratur, ut verba ejus non recte intellexisse sibi videatur. His in locis voces *τί δαί*; verti posse per Latinorum „*quid ita*" notavit Herm. ad Viger. p. 845. Quod ad particulae *δαί* collocationem notandum in hos locos quadrare, quae Planudes dicit (cf. Bachm. Anecd. II. p. 81) de oratione prosa, formulam *τί δαί* nisi ante interpunctionem locum non habere, quam sententiam doctius et rectius exprimit E. de Leutsch his verbis (cf. Philol. Suppl. I. 143): *τί δαί steht bei Aristophanes seiner Natur gemäss immer im Anfange einer Rede, und giebt mit ihm der Sprechende seinen Unwillen, seine Verwunderung oder einen verwandten Affect über eben Vernommenes zu erkennen, folgt demgemäss auf die erregende Rede eines anderen.*

Exempla in quibus *τί δαί*; est Latinorum *quid ita* sunt Eq. 28. 493. Nub. 491. 1275. Av. 225. Ran. 868. 1324. 1479, quos locos qui accurate inspexerit, intelliget nisi fallor, quam recte statuerit E. de Leutsch (l. l.), qui ex particularum *τί δαί* usu vel maximum posse peti argumentum dicit, quo ante Ran. v. 558 Xanthiae aliquem versum excidisse possit demonstrari. Ceterum in eis quae attuli exemplis notandum est Eq. v. 28. 493. Av. 225. Ran. 868. 1479

eodem modo quo nostratium vocibus „*wie so*“ causam interrogari (cf. Hesych. s. v. *τί δαί Ἀττικοὶ διὰ τί δή*), qui usus quum restet admiratio ab illo quem in universum etiam in his locis invenimus nihil differt.

Altera particularum *τί δαί* significatio est *quid igitur aliud* (cf. Hesych.: v. *τί δαί τί γὰρ ἄλλο.*) quam eas habere negat Reizius (de accent. incl. p. 96) affirmant cum Hesychio Herm. ad Viger. 845. Schäfer. ad Dion. Halic. p. 100 ad Soph. Trach. 390. Stallb. ad Plat. Phileb. p. 6. Matth. ad Eur. Hecub. 1232. Praeter Reizium suspiciosus etiam fuit hic usus vocum *τί δαί* Brunckio, qui, quo loco fieri potuit *τί δέ* legere voluit, quae lectionis varietas in uno saltem libro omnibus locis exstat. Et vide jam veteres grammatici *τί δαί* pro *τί δέ* Atticis usitatum fuisse tradunt (cf. Fisch. ad Plat. Euthyphr. p. 15). Verum enimvero diversam esse utramque formulam non negaverunt Stallbaum ad Phileb. p. 6. Heindf. ad Gorg. p. 94 p. 189 qui *τί δέ* adversantis vel etiam ad novam rem pergentis esse docuerunt qua de causa Ach. 912 recte *τί δέ* reposuit Herm. ad Viger. 845.

Luculentum hujus rei exemplum, idemque ab omnibus fere qui hac de re egerunt allatum exstat Plut. v. 156, ubi verba sunt Chremyli

ἐπεὶ
αἰτοῦσιν οὐκ ἀργύριον οἱ χρηστοί

quae audiens Cario interrogat: *τί δαί*; cui respondet Chremylos

ὃ μὲν ἵππον ἀγαθόν ὃ δὲ κύνας θηρευτικούς.

Vides loci rationem. „*Non postulant aurum homines frugi*,“ dicit Chremylus, et a Carione sententiam mirato interrogatus: „*Quid igitur aliud?*“ plane alias res enumerat.

Eadem ratio est locorum Ach. 764. 802. Eq. 171. Pac. 925. Av. 64 quo in versu luce clarior usus apparet, ib. v. 1451. 1640. Ran. v. 6. 135 ubi mira quadam cum

breviloquentia legitur *τί δαί*; porro Eccl. 403. Plut. 905. Etiam in his exemplis omnibus vocibus *τί δαί* oratio incipit, nam Eccl. v. 403 verba Neoclidis ad vocem reddita sunt, qua de causa in editionibus signis aduncis notanda erant, quibus aliorum verba directa solemus distinguere.

Ab his exemplis rei tantum causa segregandi sunt loci, in quibus finitima apparet significatio „*quid porro?*“ quippe quum in eis *τί δαί* ita adhibita sint, ut si quis plura interrogare vult, illis vocibus ad novam quandam quaestionem ita transeat, ut sibi ipse quid erat quaesiturus in memoriam quasi revocet. Exemplum esto Pac. v. 700 ubi Mercurius postquam de Sophocle Trygaeum interrogavit ad Cratinum transit vocibus:

τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἔστιν;

Vides hoc *τί δαί* esse „*quid porro*“ scilicet „*interrogaturus eram*“. Velim igitur tibi fingas inter *τί δαί* et ipsam interrogationem aliquam pausam loquendi quantulamcunque factam esse. Idem exstat Nub. v. 1091. Av. 1152 sq. atque his locis notandum *τί δαί*; si non alium spectat sed se ipsum is qui loquitur, in initio orationis collocari non debere. Neque aliena sunt verba Ach. 612 modo mutata interpunctione scribatur:

τί δαί; Δράκυλλος ἢ Εὐφορίδης ἢ Πρινίδης,
εἶδέν τις ὑμῶν κτέ.

Ceterum, id quod apud Euripidem non fit teste Matth. ad Hecub. 1232, apud Aristophanem etiam in oppositione occurrit *τί δαί*; significans „*quid porro*“. Sic Av. 1615. 1676. Sed Av. 136 et Ran. 1454 melius fortasse legeretur *τί δ'αὖ* (cf. Elmsl. ad Ach. 105).

πῶς δαί apud Aristophanem uno Vesp. v. 1212 legitur, ubi Philocles, aegre ferens quod Bdelycleo dissertis verbis

dicere recusat quomodo seni sit accubandum, exclamat *πῶς δαί*; quae verba, qua voce exclamaverit et quem demonstrent animi affectum ex verbis Philocleonis *φράζ' ἀνύσας* patet quae paullo supra leguntur.

Restant loci pauci numero, in quibus *δαί* particula munere *δή* voculae fungitur post vocem interrogativam *τίς*, quo de dicendi usu recte Teuffel. ad Nub. v. 1266 lectorem relegasse videtur ad ea quae dicit Stallbaum ad Plat. Euthyphr. p. 21 sq. atticos, quando cum affectu quodam animi interrogarent, vocabuli pleniore forma usos esse. In locis vero ipsis quum nihil insit quod explicatione egeat, ipsi enumerentur. Sunt Ach. 105, ubi tamen nescio num *δ'αὖ* cum Rav. legendum sit, quum non supervacanea sit *αὖ* vocula, sed novum quendam eundemque vividiorem colorem orationi addat, Eq. v. 351. Nub. 1266. Pac. 929. *τῷ δαί*; Pac. 1224. Thesm. 140. *τίς δαί*; Eccl. 978 *τοῦ δαί*; (Thesm. v. 632 falso *τί δαί τρίτον* cf. Fritzsch. a. h. l. Elmsl. ad Ach. v. 105). Thesm. 889 recte mihi quidem Fritzschius dedisse videtur *τί δὴ σὺ κτέ.* sed fateor de hac re diversa posse statui. Versus sine dubio trimeter est tragicus sed ob id nisi fallor vocem *δαί* spernere non debebat ille. E tragicis quidem omnino eximendam esse hanc vocem Brunckius statuit ad Eur. Med. v. 1011, cuiassentitur Porsonus ad Eur. Hecub. 1008, sed jam Matthiae ad Hecub. 1232 certa attulit exempla quibus vocis civitatem in Euripide saltum tuetur (plura v. ap. Henr. Steph. II. p. 814), neque dubito quin recte dixerit E. de Leutsch, qui quum nobis Aristophanis Ranas explicaret, statim ad v. 6 nobiscum communicavit *δαί* ab Homero, Aeschylo, Sophocle (cf. Ellendt. Lex. Soph. I. 381) alienum esse, neque vero ab Euripide. Ut vero Fritzschio adsentiam me movit, quod causam non video, cur Euripides illam quaestionem majore cum affectu proloquendam esse putaverit.

De particula *δῆτα* vix multis verbis erit dicendum, quippe quae ab eadem stirpe qua particula *δή* oriunda (cf. Hartung. Part. I. 300 sqq. Herm. ad Eur. Androm. 84) eandem vim habeat atque illa particula, (cf. Klotz. ad Dev. II. 436. Hoogeveen. Part. p. 162) qua de causa plane eodem modo ea vocula usus est comicus atque voce *δή*.

Et primum quidem post imperativos legitur ad augendam eorum vim Eq. v. 726 ib. 749. Nub. 6, ubi conjuntivus imperativi munere fungitur Nub. 269. Vesp. 354. Pac. 978. Lys. 96. 245. quibus locis a particula quae est *δή* non differt nisi eo quod majore aliquatenus cum vi imperativum auget. Praeterea huc pertinet Eq. v. 6 ubi *κάκιστα δῆτ'* legitur per usitatam vocis *ἀπόλοιτο* ellipsin, et Lys. 848. Locis vero illis ex Equitibus desumptis notandum, *δῆτα* additum esse, ut summa cum vi ea vox efferatur, in qua repetita ex antecedentibus, totius enuntiati quasi cardo versatur, atque quum his locis summus loquentium affectus ea particula declaretur optime eis opponitur Ach. 1228 ubi chorus vocibus *τήνελλα δῆτ', εἴπερ καλεῖς γ' ὦ πέσβυ, καλλίνικος* vocabula *τήνελλα καλλίνικος* praeeunte Dicaeopoli repetit simul additis vocibus *εἴπερ καλεῖς γε* significans *δῆτα* h. l. morem gerentis esse.

Atque his locis omnino persimiles sunt loci illi, in quibus *δῆτα* ponitur in responsione, quod aut comprobantis, aut cum negatione conjunctum vehementer improbantis est. Sic repetita simul ex antecedentibus aliqua voce primaria, quae per particulam *δῆτα* ita augetur ut extra dubium res ponatur, assentientis est locis quales sunt Lys. 848: *ἀνήρ*; — *ἀνὴρ δῆτ'* — *οὐκ ἄπει δῆτ' ἐκποδών* ubi *ἀνὴρ δῆτ'* est „*immo vir*“, Vesp. 1375. Pac. 1056. Av. 269. 275. Thesm. 607 706. Lys. 836. 882. 930. 972. Eccl. 1122, ubi *δῆτα* in anaphora, ut *δή*, positum.

Cum negatione quae est *οὐκ* uno loco conjunctum legitur Ach. 328, in quo loco acerbam irrisionem jam sensit

Klotz. ad Devar. II. 439. Multo saepius negationes quae sunt *οὐ* et *μή* per particulam *δῆτα* efferuntur, atque ita quidem, ut *οὐ δῆτα* vehementissime negantis sit, qua de causa permultis locis etiam *νὴ Δία*, *ἀποιροπαίε*, et quae sunt similia, adduntur, vel *οὐ* et *οὐδέ* in eodem versu ad augendam negationis vim adjiciuntur. Atque quum in hoc usu nihil insit proprii satis habeo locos enumerasse qui sunt: Ach. 619. Eq. 870. 1110. 1229. 1307. 1309. Nub. 733. 913. Vesp. 169 396. 989. 1496. Av. 1015. 1391. 1670. Lys. 524. (cf. Reis. Conjectt. I. 235). 905. Ran. 28. 56. 845. 914. 1089. 1144. 1160. 1183. 1188. 1230. 1457. Eccl. 373. 856. 927. Plut. 372. 374. 391. 712. 1063. 1070, ad quem versum Schol. Dorv. explicat voces *οὐ δῆτα* per *οὐδαμῶς*. Parum recte. Si enim Arist. Ran. 56 inspicimus, qui audit:

γυναικός; οὐ δῆτ' — ἀλλὰ παιδός; — οὐδαμῶς.

intelligimus, *οὐδαμῶς* negationis vi ita ab *οὐ δῆτα* differre, ut amor pueri ab amore mulieris. Multo igitur fortior negatio est *οὐδαμῶς*. Ceterum animadvertas, quaeso, horum locorum non paucis verbum negativum efferri per particulam *γέ* cf. Ran. v. 1160. Inter locutiones *οὐ δῆτα* et *μὴ δῆτα* eadem intercedit ratio quae est inter *οὐ* et *μή* simplex. Quum enim *οὐ δῆτα* probe verteres *non profecto*, *μὴ δῆτα* fere est *neutiquam*, *absit* (cf. Plut. 937. 965) (Fisch. ad Plut. 790), ita ut plerumque obsecrandi notio insit, quam inesse comicus ipse nonnullis locis addita voce *ἱκετεύω* significavit, ut e. g. Nub. 696 (cf. Elmsl. ad Med. 330) Thesm. 751. Ran. 11. 167. Etiam hac in dictione, et saepius quidem quam apud *οὐ δῆτα* per particulam *γέ* (cf. Herm. adn. ad Elmsl. Med. p. 375) auctam conspicere poteris vocem, ad quam spectant vocabulae *μή δῆτα*, cujus rei exempla sunto Eq. 960. Lys. 36. 877. Thesm. 540. Ran. 65. 625. 1472. Plut. 651.

Ut vero in responsione, ita vel maxime in interrogatione usurpatur vox *δῆτα*, ubi vocibus additur interrogativis,

substantivis et adverbiis ad augendam eorum vim. Primum cum ipsis pronominibus interrogativis conjunctum est, et ita quidem, ut quamquam plerumque, tamen non omnibus locis primum post interrogationem locum obtineat. Sic, ut minora praemittam, leguntur: *πῶς δῆτα* Eq. v. 82. 195. 1048. Nub. 79. 904. Pac. 725. Av. 201, et interjectis verbis quibusdam Eq. v. 18. Lys. 912. Thesm. 211 *ποῦ δῆτα* Eq. 1374. Ran. 194 et *ποῦ — δῆτα* Nub. 1052; *ποῖ δῆτα*. Pac. 92. Ran. 296. *ἆρα δῆτα* Eq. 322. Nub. 1094. Vesp. 463, denique *οὔκουν δῆτα*. Av. 477. 1177, et voce *σέ* interposita Eq. 878. Paullo aliter ei loci comparati sunt, ubi inter *οὔκουν* et *δῆτα* aliae quaedam voces interponuntur. Ibi enim *δῆτα* primum eae voci augendae inservit, post quam ponitur, ut Vesp. 1148. Eccl. 1144, quum autem ad totam pariter enuntiationem pertineat, et quidem per vocem interrogativam, haud absonum erit, etiam eos locos hic subjungere. Invenitur hic usus Vesp. 985. Thesm. 226. Ran. 193. 200 et Eq. 810, ubi tamen nescio, num vera sit lectio edita:

οὔκουν δεινὸν ταυτί σε λέγειν δῆτ' ἔστ' ἐμὲ καὶ διαβάλλειν.

Vocem *δῆτα* augendae voci quae est *δεινὸν* inservire neminem fugere potest, et quum hoc uno loco vox illa pluribus verbis ab ea, ad quam pertinet, separata sit, fortasse voces *δῆτ' ἔστι* et *ταυτί σε* locum mutare debebunt. Longe autem maximus est eorum locorum numerus, quae voculam *τί* voce *δῆτα* auctam exhibent. Vis pronominis interrogativi his locis ita aucta est, ut latine commode vertas „*quidnam, quid quaeso*“ (cf. Fisch. ad Plut. 480. Devar. I. 114. Hoogev. Part. 216). Exemplorum autem quae huc pertinent copia ita bipartienda est, ut eos locos, in quibus verbum additum est, segregamus, ab illis, in quibus verbi ellipsis, quam dicunt admissa est. Atque primum notandum *τί δῆτα* semper in initio orationis legi, nisi certae causae rhetoricae comicum prohibuerunt, quominus hanc regulam sequatur.

Loci sunt Nub. 58. 423. 724. 769. 1423. Vesp. 24. Pac. 1279 ubi mutandi causae lectorem fugere non possunt. Neque voces τί δῆτα dirimere solet Aristophanes nisi enclitica με interjecta (Vesp. 312), exceptis illis locis, ubi magis ad totum enuntiatum quam ad vocem interrogativam spectat δῆτα, quales sunt Nub. 403. Av. 969. Lys. 1103. Praeter hos locos τί δῆτα non admissa verbi ellipsi quater et tricies, admissa ellipsi undecies invenitur, qua in re nescio qui factum sit ut se falli passus sit Elmslejus, qui ad Ach. v. 1011 sex tantum locos affert, addens plura hujus ellipseos exempla apud comicum non legi. Sed etiamsi demas locos paullo aliter comparatos Nub. 393. 1105. 1290, quo versu ultimo per interrogationem τί δῆτα transitio quodammodo fit ad novam et plane aliam rem, tamen restant loci octo numero, quorum duobus legitur τί δῆτα sequente ἐπειδὰν cum conjunctivo aoristi Ach. v 1011 (ubi v. Muellerum), aut praesentis Pac. 859; quum ter inveniatur εἴ cum optativo aoristi Nub. 154. 769. Lys. 399; bis ὅταν cum conjunctivo aoristi Pac. v. 863. Eccl. 640; semel denique ἤν sequente futuro Nub. 1445, quo loco lectionem Hermanni genuinam esse censeo. De Pac. 916, quem auctore Elmsleio affert Muellerus ad Ach. v. 1011, vide sis Bergkium in Rel. com. Att. p. 240. Eodem autem modo ut cum particulis et pronominibus interrogativis conjungitur vox δῆτα (cf. Eq. 1209 τῷ δῆτα; Nub. 729 τίς δῆτα; Vesp. 191 τοῦ — δῆτα, Vesp. 1176 τίνα δῆτα; Pac. 1262 πόσον δῆτα; Plut. 868 τίνα δῆτα;), ita omnino compluribus locis et substantivis et pronominibus et verbis, potissimum sentiendi additur in interrogatione, per verbum ipsum, quod augetur, simul totum afficiens enuntiatum. Sic pronomina efferuntur voce δῆτα Ach. 125. 618. Vesp. 417. Pac. 200. Thesm. 163. Ran. 552. 1399. Eccl. v. 328. adverbia: Vesp. 350. Av. 1548 substantiva: Ach. 1126. Nub. 1299. Av. 375. Eccl. 380 verba:

Vesp. 172. Pac. 929. Av. 1025. 1689. Lys. 54. Ran. 416. Eccl. 853. Plut. 483, Vesp. 121 sine dubio melius *ὅτε δὴ δέ* legitur (cf. Elmsl. ad Ach. 10) quam *ὅτε δῆτ'*, quum *ὅτε δῆτα* ab Aristophane omnino vitatum sit, et *δῆτα* hac in locutione librariorum incuria ortum videatur (cf. Reis. Conj. I. 229. Pors. ad. Lys. 523). Hoc autem si verum est simul Hartungio adempsimus exemplum, quo (Part. I. 311) per particulam *δῆτα* etiam transitionem fieri demonstravit. Hujus igitur causa speciosum licet addamus exemplum, Nub. v. 1058 ubi verbis:

ἄνειμι δῆτ' ἐντεῦθεν ἐς τὴν γλῶτταν,

injustus orator ad novam rem transit, quamquam mihi recte videtur adnotasse Teuffel, magis ad dialecticorum consuetudinem dictum esse, et in talibus Aristophanem non tam suam quam eorum quos perstringit dicendi rationem adhibuisse satis notum est.

Restat ut paucis addam quibus cum particulis vox *δῆτα* conjuncta inveniatur. Atque primum *δῆτά γε* omnino non invenitur, *γὲ δῆτα* vero uno Pac. v. 630 a Bentleio restitutum tacentibus libris. Sensus est aliquatenus fortior quam particularum *γὲ δή* quos vide. De *ἦ δῆτα* Vesp. v. 332 vide Klotz. ad Devar II. 442 *ἀλλὰ δῆτα* quod est „*at scilicet*“ (cf. Hesych. v. ubi recte pro *οὕτως* restituit *ὄντως*; Fisch. ad Plut v. 1098), legitur Thesm. 143. 144. Plut. 1098 *καὶ δῆτα „et manifesto“* Ach. 68. 142. Vesp. 13. 796. Av. 511. 1670. Ran. 52. Eccl. 378. 385. Plut. 697 quo versu idem occurrit quod jam in *δή* particula vidimus, nempe quod *δῆτα* et *ἦδη*, ab eadem radice ductae in eodem enuntiato inveniuntur.

Porro etiam *οὖν* et *δῆτα* conjungit comicus, Eq. v. 871 875. Av. 27. Plut. 845, neque denique desunt exempla, in quibus *εἶτα* et *ἔπειτα*, si quando quum admiratione interrogantis sunt, (cf. Scheibe. Philol. V, 363 n.), particula *δῆτα*

augentur, sicut e. g. *εἶτα δῆτα* Ach. 126. 917. Av. 911. 1217. Lys. 914. 985 *νῦν δῆτα* ab Aristophane alienum esse videtur, quamquam recte contra Dobraeum videtur Fritzschius fecisse, negantem hanc dicendi rationem omnino esse graecam. Thesm. enim v. 934 reste Fritzschius et Meinekius *νῦν δή γε* (de quo v. Reis. Conj. I. 230) scripsisse mihi videntur.

Jam in fine hujus capitis, quum *δήποτε* et *δῆθεν* apud Aristophanem non legantur — in comicorum fragmentis *δῆθεν* pariter atque in Aristophane non exstat, *δήποτε* uno Platonis loco (ap. Mein. Com. Graec. II. 654) legitur —, Ach. enim v. 405 recte ex Rav. *εἴπερ πώποτε* pro *εἴπερ δήποτε* restitutum est, de vocibus *δήπου* et *δήπουθεν* pauca addenda sunt. (cf. Schäfer. ad Theocr. I. 68. Reis. Comm. in Oed. Col. 110. Stallb. ad Apolog. Socr. p. 23).

Quod ad significationem *δήπου* idem valet ac *δή*, scilicet „*manifestam esse aliquam rem*“ ita tamen, ut addita particula quae est *πού*, rem ex sententia quidem loquentis manifestam esse declararetur, ex sententia vero aliorum fortasse minus certam videri. Haec si tenemus, pro unius cujusque loci ratione aut major aut minor erit particulae vis. Sic e. g. Plut. 582 vocula *δήπου* Paupertatis quidem ex sententia rem certissimam esse exprimitur ut ex sequentibus apparet verbis *τοῦτ' ἤδη φανερῶς ἀποδείξω*, quum Eccl. v. 327 virum illum qui loquitur, opinari quidem, sed non certo scire eum qui advenit esse Blepyrum, sequentia doceant verba *νὴ τὸν Δί' αὐτὸς δῆτ' ἐκεῖνος*, quibus declaratur nunc demum, propius accedente Blepyro certum judicium ferri posse. Horum locorum respectu habito *δήπου* verti potest per „*ut opinor*“ quibus in verbis pariter inesse potest vis

ironica quam in *δήπου* inesse docet Pac. v. 519. In universum *δήπου* quater et vicies apud Aristophanem occurrit, et quidem in interrogatione sexies Ach. v. 122 (cf. Elmsl.) Eq. 900. Av. 179. 269. Eccl. 327. Plut. 261; in verbis affirmantium duo de vicies Vesp. 663. 1375. Pac. 145. 350. 955. 1089. Lys. 805. 913. Thesm. 819. Eccl. 659. 661. Plut. 491. 497. 519. 523. 549. 582. 587. Restant Lys. 517. Ran. 526, quorum priore loco *δήπου* a Meinekio praeeunte Engero deletum est, in loco sine dubio lacunoso, dum Ran. 526 *οὐ δή που* legendum videtur, neque vero ut vult Fritzschius *οὐ δήπου*, aut *οὐ τί που* (cf. Herm. ad Iph. Taur. 904) (Stallb. ad Plat. Symp. 194 B.).

Vocem *δήπουθεν* denique idem significare atque *δήπου* teste Krügero (I. §. 69. 19) accipias, nisi forte in exemplis Aristophaneis in voce *δήπουθεν* majorem quendam fiduciae, ut ita dicam, gradum conspicere velis. Legitur Vesp. 295. Pac. 1019. Av. 187. Plut. 140.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 040 061 6

MAR. 14, 1870.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 040 061 6